
EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
M. DC. VI.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI D. EBERHARDO EPISCOPO SPIRENSI ET PRAEPOSITO VVEYSENBVRGENSI CAMERAE IMPERIALIS SPIRAE IVDICI, &c.



SINGVLARI Dei immortalis beneficio accidiſſe arbitror, Illuſtriſſime Princeps, vt in tanta Gothici temporis barbarie non ſolùm præſtantiſſimorum ingeniorum ſcripta pleraque à temporum ſint iniuria vindicata, ſed & IMAGINES ipſorum atque effigies marmoribus ac gemmis ſculptæ, & numiſmatis cuſæ, artificum operâ atque induſtriâ ſuperſtites exiſtant. Et verò licet animi, ingeniique index liber eſt, corporis tamen formam habitudinemque ſpectare delectat, me quidem certè, ac prodeſt mirificè. Delectat quidem, quod maius nullum felicitatis humanæ ſpecimen eſſe C. Plinius maior affirmet, quàm ſemper omnes ſcire cupere qualis quiſque, quaque figura fuerit. Prodeſt verò ad Phyſiogno-

miæ artem perhoneſtam: Medicis etiam ad morbos diiudicandos cognitu neceſſariam: qua ex corporis lineamentis de animo, indole, ingenio, ac moribus felix interdum coniectura ducitur, ex Ariſtotelis Peripateticæ ſcholæ principis, Polemonis, atque Adamantij doctrina. Vt enim, quam Euripedes laudat, digna imperio forma, amorem, auctoritatemq́. conciliat; ſic contrà, in deformi corpore malè ingeniũ habitare, hodieque, vt olim, vulgi ſermone iactatur. Si, vt eſt, eius quæ de moribus Philoſophię partis principis vita eſt HISTORIA, teſtis temporum, Tullio auctore, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra denique morum; Hiſtoriæ viciſſim facem præferũt ſpirantemque reddunt icones ad viuũ expreſſæ. Virtuti quoque prodeſſe IMAGINES, vel Romani doceant. Q. enim Maximum, & P. Corn. Scipionem ſæpe audiſſe, alioſque C. Criſpus ait, qui dicerent, quum maiorum ſuorum IMAGINES intuerentur, animum ſibi ad Virtutem vehementer accendi. Scilicet non ceram illam in ſeſe aut figuram, tantam vim habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque priùs, quàm Virtus eorum famam adæquarit, exſtingui. Cera enim expreſſi vultus in atriis ſingulis diſponebantur armariis, ait idem Plinius: hodieque in Regum ac Principum aulis videmus. Funus adhæc Romæ comitabantur IMAGINES eius gentis ac familiæ. His ſtemmata, ac Genealogiæ ſeries appendebantur, quæque in Magiſtratu domi, belli, præclarè geſſiſſent. Triumphi quoque, parta de victis cęſiſque hoſtibus victoria, & ouationes addebantur. Hinc clypeorũ, inſignium, ac ſymbolorum,

lorum, quibus antiquissima Germanicę gentis nobilitas illustris est, nostra maiorumq́. memoria fluxisse morem puto. Quæ insignia foribus appendi, vel in atriorum limine collocari, vt & aprorum ferarumq́ue capita, & viuacis cornua cerui Romanorum more nunc videas. Affigebantur adhæc hostium spolia, quæ nec ædium emptori refringere liceret, erantq́ue dominis mutatis domus ornamenta. Magnus sanè hic è multis ad virtutē stimulus semper fuit, exprobrantibus mutis etiam signis ac tectis imbellem quotidie aut degenerem dominum intrare in alienum Triumphū, virtuteq́ue parta non suâ, occupare: cùm & viatores interdum transeuntes tacitè versum iactarent:

O domus Antį, quàm dispari domino dominaris?

Quin & in Bibliothecis Romæ statuas & IMAGINES eorū collocatas, auro, argēto, ære, ductas, marmore fictas obseruaui, quorum immortalis ingenij monumenta ibi legerentur, loquerentur, ac tantùm-non vocem emitterēt. Asinij Pollionis ferunt primum id in æterna Vrbe inuentum fuisse colligendi libros, ornandiq́ue IMAGINVM specie Bibliothecas. Quarum etiam studio flagrasse accepimus T. Pomponium Atticum, & M. Terentium Varronem, togatorum doctissimum. Testes erant, olim editæ, nunc amissæ, Illustrium Virorum à septingentis Vrbis conditæ annis IMAGINES: additis etiam breuibus versibus, tanquam rerum gestarū, Magistratuum, ac Triumphorum indicibus. Athenis verò Atticis antiquius id studium, vbi & Gymnasiis statuas adhibebant. Vnde & Atticus ille Ciceroni, perfamiliari suo, vnà cum biblio-

theca HERMATHENAS & HERMERACLAS dono mittit, & Mercurio ficto Eloquentiæ Deo, ſcientiæ præſes Pallas, & roboris decus Hercules iungebatur. Quibus Hermis à varia porticu ad regiam vſque Athenis plena compita, referente apud Suidam Calliſtrato. Sic & Romæ innumerabiles ſtatuæ bene de Rep. meritis collocatæ, vt & ſtatuarum officina M. Catoni, ac dicacibus videretur: Alexander quoque Auguſtus in larario ſuo inter ceteras & CHRISTI Seruatoris dedicauit. Muſæ præterea ſtudiorum tunc auſpices creditæ, in Gymnaſiis à M. FVLVIO Nobiliore conſecratæ, vt in Liciniana Tullius refert: Faſtoſque eiſdē & Herculi dedicaſſe auctor eſt Macrobius. Addit enim HERCVLEM MVSAGETEM Eumenius Panegyrico de Scholis inſtaurandis. Aedem, inquit, Herculis, & Muſarum in Circo Flaminio FVLVIVS ille Nobilior ex pecunia Cenſoria fecit: non id modò ſecutus, quòd litteris & ſummi poëtæ Ennij amicitia duceretur, ſed quòd in Græcia, cùm eſſet Imperator, acceperat HERCVLEM MVSAGETEM, id eſt Comitem, ducemque Muſarum. Ad huius ſe FVLVII cognominis imitationem noſtro ſæculo feliciter comparauit FVLVIVS VRSINVS, Romanus & ipſe, & Muſarum delicium: omniſque adeò Antiquitatis, doctrinæ, Hiſtoriæ, familiarumque Rom. longè peritiſſimus. Collegit is pridem ingēti ſumptu librorum veterum, marmorum, numiſmatum, ex auro, argento, ære, & gemmarum incredibilem copiam. Quem penes ſe theſaurum ſeruat, non incubat tamen, vt Heſperidum horti cuſtos ille draco, ſed eruditis peregriniſque hominibus Antiquitatis ſtudio-

studiosis identidem ostendit, digitoque commonstrat. Mihi verò hoc amplius, externo licet homini, P. And. Schotti, quem ob singularem quà pietatem, quà doctrinam mirificè diligebat, commendatione potissimùm adductus, non modò exhibuit spectandum, sed & tractare, delineare, effingere, ac meo arbitratu domi edere, qua est humanitate singulari, permisit hasce veterū IMAGINES, Heroum, Imperatorum, Regū, Philosophorum, Oratorum, Poëtarum, Historicorum, atque illustrium domi, forisque Virorum, in ipsius Museio, summa fide diligentiaque, ipso inspectante, à me elaboratas. Quas domum Româ nuper reuersus, dum summa, quoad eius fieri potuit, accuratione adhibita in æs incidissem, multorumq. commodo, vt spero & opto, in publicum proferre, efflagitantibus quotidiano pænè conuicio familiaribus, cogitarem, patronusque aduersus maledicorum calumnias esset adhibēdus; Tu vnus, Princeps illustrissime, hoc munere, quale id cumque tandem est, dignus occurristi: quòd id genus κειμηλίοις & vehementer ipse delecteris, & doctorum hominum consuetudine frui, præmiisque propositis fouere soleas. Quod vt perpetuò constanterque facias, etiam atque etiam oro. Magna est de Spira, Nemetum metropoli, exstimatio, ingens eius gloria, vbi Cæsaris Augusti forum est, quo lites imperij disceptentur. In quo iudicio ius ex æquo & bono dicis grauiter simul & iustè: Religionis adhæc rem, & sacra Episcopus administras: vtque summo illi sacerdoti constet ratio, castè atque integrè rem facis diuinam. Quæ laus non vulgaris familiæ tuæ splēdori, Imaginibusque accessit. Duobus

bus enim vinculis Remp. Christianam contineri semper existimaui, puta PIETATE atque IVSTITIA: ijsque artibus bonis Ciuitates validiùs quàm arcibus, militumq. præsidio communiri. Quamobrem primos hosce industriæ nostræ fructus libenter benigneque vt complectatis, maiorem in modum rogo, obtestorque. Quod si consequar, erit cur ad maiora accingar, quæ tui nominis auspicio in apertum referre conabor. Et verò magnis in rebus voluntas, beneque de omnibus merendi studium, vt facultas desit, laudis sibi partem aliquam iure optimo vindicare videatur. Vale in Domino Præsul amplissime, Reip. tuæ diutissimè superstes.

Ill^mæ ac R^mæ D. T.

addictiss. cliens

Theodorus Galleus Ph. F.

INDEX

INDEX
ILLVSTRIVM,
ORDINE ALPHABETI.


Litteris Romanis ſignati, in Appendice nouæ huius editionis quærantur.

Mago

HAs Illuſtrium Imagines, per Theodorum Gallæum perfectiſſimè delineatas, vnà cum Epiſtola dedicatoria ad Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dominum Eberhardum Epiſcopum Spirenſem, iiſdem præfixa, vtiliter imprimi poſſe iudico. Datum Antverpię, XI. Calend Septem. Anno M. D. XCVIII.


Silueſter Pardo S. Theol. Licentiatus,
Cathedralis Eccleſiæ Ant. Canonic.
Librorumque Cenſor.

M. AEMILIVS LEPIDVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.


AESCHINES.



Apud magnum Etruriæ Ducem in marmore.


2.

ALCAEVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

ALCIBIADES.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

ALEXANDER MAGNVS.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate argenteo.

ALEXANDER ET OLYMPIAS.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.



ALEXANDER EPIROTA REX.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

ALEXANDER THEOPATOR.



*Apud Cardinalem Farnesium
in nomismate argenteo.*

AMILCAR.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate argenteo.

AMYNTAS REX.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

ANACREON.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate æreo.*


ANCVS MARCIVS REX. 12.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

12.

ANDOCIDES.



ΑΝΔΟΚΙΔΗΣ
ΛΕΩΓΟΡΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ

Apud Fuluium Vrſinum in ſchedis ex marmore.

ANTIOCHVS MAGNVS.



*Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate aureo.*

ANTIOCHVS EPIPHANES.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

ANTIOCHVS NICEPHORVS.



Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

ANTIOCHVS EVERGETES.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

ANTIOCHVS REX.




Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

ANTIOCHVS ET CLEOPATRA.




*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

ANTISTHENES.




Apud Laelium Pasqualinum in gemma.

C· ANTIVS RESTIO.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

L. ANTONIVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

M. ANTONIVS.



Apud Cardinalem Farnesium in gemma.

APOLLONIVS TEANEVS.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

APVLEIVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

ARATVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate æreo.

ARCHYTAS.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate aereo.

ARIARATHES EVSEBES REX.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate argenteo.

ARIARATHES EPIPHANES REX.



Apud Fuluium Vrſinum in nomiſmate argenteo.

ARIOBARZANES PHILOROMAEVS REX.




Apud Fuluium Vrſinum in nomiſmate argenteo.

ARIOBARZANES REX
EVSEBES PHILOROMÆVS.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

ARISTIPPVS.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.


ARISTOGITON.



ΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΩΝ
ΘΕΟΤΙΜΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ.


Apud Fuluium Vrſinum in ſchedis ex marmore.

ARISTOPHANES.




Apud magnum Etruriæ Ducem in marmore.

ARISTOTELES.



Apud Fulvium Vrsinum in marmore.

M. ARRIVS SECVNDVS.




*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

ARSINOE REGINA.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate aureo.

M·ATTILIVS REGVLVS.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

AVGVSTVS ET LIVIA.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

BYZAS HEROS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.*


CALLISTHENES.



ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ·ΛΥΣΙΜ


Apud Fuluium Vrsinum
in marmore.

CARNEADES.




Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

CIMON.




Apud Fuluium Vrsinum
in schedis ex marmore.

CLAVDIA VESTALIS.



Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.

M. CLAVDIVS MARCELLVS.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

CLEOPATRA.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

C. COELIVS CALDVS.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

L.CORNELIVS LENTVLVS.




Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

P. CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS.



*Apud Ducem Aquæ Spartæ
in marmore.*

L.CORNELIVS SVLLA.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

CYNEGIRVS.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate argenteo.

DEMETRIVS POLIORCETES REX.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

DEMETRIVS NICATOR REX.




Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

DEMETRIVS SOTER.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

DEMOSTHENES.




Marmor Tarracone,
in prædio ſuburbano.

DIOGENES.



Apud Fuluium Vrſinum
in marmore.

DIOMEDES HEROS.




Apud Fulvium Vrsinum
in nomismate aereo.

DOCIMVS HEROS.




*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.*

CN. DOMITIVS AHENOBARBVS.




Apud Fuluium Ursinum in nomismate argenteo.

EVRIPIDES.



Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

FAVSTVS FELIX.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

GELON REX.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

HANNIBAL.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

HELLEN.



Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.

HERACLITVS.




Apud magnum Etruriæ Ducem in marmore .

HERCVLES ET HYLAS.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

HERODOTVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in marmore.

HESIODVS.




Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

HIERON REX.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

HIERONYMVS REX.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate æreo.*

HIPPOCRATES.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate æreo.

HOMERVS.




*Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate aereo.*

HORATIVS.




Apud Fuluium Vrſinum in ſchedis ex nomiſmate aereo.

HYACINTHVS.



Apud Fuluium Vrſinum in gemma.

HYLAS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.*

ISOCRATES.




Apud magnum Etruriæ Ducem in marmore.

IVBA REX.




Apud Fuluum Vrsinum
in nomismate argenteo.

IVBA REX.




Apud Fuluium Ursinum in nomismate argenteo.

IVLIA AVGVSTI FILIA.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

C. IVLIVS CAESAR.




Apud Cardinalem Farnesium in gemma.

L. IVNIVS BRVTVS.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

M. IVNIVS BRVTVS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

Q. LABIENVS PARTHICVS.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

LEODAMAS.



Apud Ducem Aquae Spartae in marmore.

LYSIAS.




Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

MAGO CARTHAGINIENSIS
ET DIONYSIVS VTICENSIS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.*


MARCELLVS AVGVSTI NEPOS.



Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.


identical with K.

C. MARIVS. C. F.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

MAXIMVS.



ΜΑΞΙΜΟΣ
ΣΕΟΥΗΡΟΥ
ΡΟΜΑΙΩΣ.

Apud Fuluium Vrsinum
in ſchedis ex marmore.

MENANDER.




Apud Fuluium Vrsinum
in marmore.

M. METTIVS EPAPHRODITVS.




Apud Balthasarem Bertonium in marmore.

MILTIADES.




Apud Fuluium Vrsinum
ex marmore.

MILO CROTONIATA.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

MINOS REX.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

MITHRADATES REX.



Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

MOSCHION.



Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

96.

NVMA REX.



Apud Fuluium Vrſinum in nomiſmate argenteo.

C. NVMONIVS VAALA.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

OENEVS HEROS.




Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PAPINIANVS ET PLAVTIA.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

PERGAMVS HEROS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

PERSEVS REX.




Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

PERSIVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in marmore.

PHILEMON.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

PHILETAERVS.




Apud Cardinalem Farnesium in nomismate argenteo.

PHILIPPVS EPIPHANES
REX.



*Apud Fuluium Vrsinum
in argenteo nomismate.*

PHILIPPVS MACEDO.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PHILISTIS REGINA.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PHOCION.




Apud Fuluium Vrſinum
in ſchedis ex marmore.



Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

PITTACVS.




Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate æreo.

PLATO.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

Q. POMPEIVS RVFVS.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteó.

CN. POMPEIVS MAGNVS.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

SEX. POMPEIVS.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

M. PORCIVS CATO.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

POSIDONIVS.



Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

A. POSTVMIVS ALBINVS BRVTVS.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PRVSIAS REX.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PTOLEMÆVS ÆGYPTI REX.



Apud Fulvium Vrsinum
in nomismate argenteo.

PTOLEMAEVS APION REX.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

121.

PTOLEMAEVS SOTER.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

PYRRHVS REX.



Apud Fuluium Vrſinum
in orbe argenteo.

PYTHAGORAS.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate æreo.


PYTHEVS.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate æreo.

125.

T. QVINCTIVS FLAMINIVS.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.


126.

ROMVLVS REX.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

SALLVSTIVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

SAPPHO.




Apud Cardinalem Farneſium in nomiſmate argenteo.

SELEVCVS REX.




Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.

SENECA.




Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

C. SERVILIVS AHALA.



Apud Fuluium Vrsinum in nomismate argenteo.

SOCRATES.




Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate aereo.

SOCRATES.



Apud Cardinalem Farnesium in marmore.

SOLON.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

SOPHOCLES.



Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

SPEVSIPPVS.



Apud Fuluium Vrsinum in schedis ex marmore.

SER. SVLPICIVS RVFVS.




*Apud Fuluium Urſinum
in nomiſmate argenteo.*

TATIVS SABINVS REX.




*Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.*

TERENTIVS.



In antiquo libro Vaticanæ bibliothecæ.

THEMISTOCLES.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

THEOCRITVS.




Apud Fuluium Vrsinum in marmore.

THEOPHRASTVS.



Apud Petrum de Maximis in marmore.

THVCYDIDES.



Apud Fuluium Vrsinum in marmore.


TMOLVS HEROS.




Apud Fuluium Vrſinum in nomiſmate aereo.

145.

M. TVLLIVS CICERO.



Apud Cyriacum Matthæium in marmore.



Apud Fuluium Vrsinum, in schedis ex marmore.


VIRGILIVS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.*

148.

XENOCRATES.




ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ
ΑΓΑΘΑΝΟΡΟΣ
ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΣ

*Apud Fuluium Vrsinum
in schedis ex marmore.*

ZALEVCVS.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate argenteo.



Apud Cardinalem Farnesium
in marmore.

APPENDIX
AD
IMAGINES
ILLVSTRIVM
Ex FVLVII VRSINI Bibliotheca,

Antuerpiæ à Theodoro Gallæo expressas.

M. DC. VI.

A.

M.VIPSANIVS AGRIPPA.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

B.


ANTIOCHVS REX COMMAGENVS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in numismate aereo.*

C.

ARATVS SICYONIVS.



Apud Ducem Ferrariæ in æreo nomismate.

D.

ARCHELAVS REX.



Apud Fuluium Vrſinum
in numiſmate argenteo.

E.

C. CAESAR AVGVSTI
NEPOS.



*Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.*

L. CAESAR AVGVSTI NEPOS.



Apud Fuluium Vrsinum
in numismate aereo.

G.

CIMON.



Apud Fuluium Vrſinum in numiſmate aereo.

H.


P. CORNELIVS SCIPIO NASICA.



Apud Fuluium Vrsinum
in numismate æreo.

CRATIPPVS.

I.



ΚΡΑΤΙΠΠΟΣ
ΑΣΚΙΟΝΔΟΥ
ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΟΣ

Apud Fuluium Vrsinum
in schedis ex marmore.

GERMANICVS CAESAR.




Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

LEANDER HEROS.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

L. REGVLVS PR.



Apud Fuluium Vrsinum
in numismate argenteo.

N.

NERÒ CAESAR ET IVLIA VXOR.



Apud Fuluium Vrsinum
in gemma.


NICOMEDES REX.



Apud Fuluium Vrsinum
in numismate argenteo.

P


CN. POMPEIVS MAGNI F.



Apud Fuluium Vrsinum in gemma.

Q

TOMVS HEROS.



Apud Fuluium Vrſinum
in nomiſmate aereo.

R.

M. TVLLIVS CICERO.



Apud Fuluium Vrsinum
in nomismate aereo.

IOANNIS FABRI Bambergensis, Medici Romani,


IN

IMAGINES ILLVSTRIVM

Ex FVLVII VRSINI Bibliotheca, Antuerpiæ à Theodoro Gallæo expressas,

COMMENTARIVS.

Ad Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum CYNTHIVM ALDOBRANDINVM *Cardinalem S. Georgij, &c.*



ANTVERPIÆ,
Ex OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃC. VI.

ILLVSTR^MO ET REVER^MO PRINCIPI


ET DOMINO

CYNTHIO ALDOBRANDINO

CARDINALI S. GEORGII,

Ioannes Faber Bambergensis, Medicinæ Doctor ac Professor in Romana Academia, & Simpliciarius Pontificius,

S. D.



NTER illos, qui Antiquitatis notitia & politioris Literaturæ laude claruerũt, quales superius sæculum complures habuit, nequaquam postremas ferre, sed familiam ducere doctissimis quibusque visus est FVLVIVS VRSINVS ROMANVS, clarissimæ memoriæ vir, quem Romanarum Antiquitatum Condum ac Promum meritissimò quis appellare possit. Hic est enim ille, qui iam amplius annis quadraginta, cùm singulares Literarum, omnisque Romanæ Antiquitatis, vindices & patronos nactus

 esset,

esset, ex nobilissima & principe familiarum FARNESIA gente, infinitis propè beneficijs priscorum sæculorum memoriam affecit. Non enim vnum Scriptorum genus, sed ferè omnes veteres, tum Græcos, tum Latinos, sacrosque non paucos emendauit; & partim librorum, & antiquitatum variarum auxiliaria opera, partim ingenio vsus sagacissimo, eruditioneque polita, feliciter auxit & suppleuit. Denique nullum est Auctorum genus, de quo ipse non sit optimè meritus: vt ita, & Scriptoribus & Monumentis antiquis non solùm, sed & ipsis, quorum virtutes & facta ijs continebantur, memoriam saluam, sartam & tectam conseruarit. Quibus beneficijs eius amplissimis, & pulcerrimum paullò ante obitum suum auctarium mantissæ loco adiecit, vulgò communicatis ex thesauro suo ILLVSTRIVM IMAGINIBVS; quas iam multos annos, maximis sumptibus, bono publico compararat, atque collegerat. Quo quidem pacto, ita omnem propemodum Antiquitatem illustrauit, vt oculis pænè tot Heroës, tot Imperatores, Reges, Reginas, & Duces, tot Philosophos, Oratores, Poëtas, & Historicos, aliosque magni nominis, & prisci æui viros intueri possimus. Cùm autem in IMAGINIBVS

illis

illis in ære incidẽdis & diuulgandis, opera Theodori Gallæi viri optimi, & solertissimi eo in genere artificis, vsus esset; sed hoc tamen illis, velut mutis simulacris, deesse adhuc videret, vt nimirum interpretatione aliqua breui & succincta velut animarentur, & cuius quæque effigies fuissent, ipsę loquerentur: Nobilissimum & Clarissimum virum GASPAREM SCIOPPIVM, Patricium Romanum, magno sibi vsu & familiaritate iunctum, vt declarandis breuiter Imaginibus illis nonnullam styli sui operam tribueret, hocque pacto & amico & publicæ vtilitati gratificaretur, rogauit. Scioppius ergo, quamuis alijs tunc curis occupatus, neque aliter huic studiorum generi deditus, nisi quòd animum fessum reficere & auocare possint, ne tamen Fuluio suo præcideret ac negaret, cùm sæpius ad eum in Farnesiana domo vna omnium amplissima maximeque regia commearet, & marmorea signa, tabulas, gẽmas, ac numismata, ex quibus Gallæus Imagines suas desumpserat, ante oculos & in manibus haberet, conscripsit tum nonnulla, quæ ad intelligendas illas non parum lucis afferre possunt. Sed mortuo postea Fuluio, cùm neque illi, quibus thesauri Fuluiani, seu mundi antiquarij à CARD.

FARNESIO commiſſa erat cura, niſi elapſo demum biennio ad ſua Scioppio ſchedia reſtituenda induci poſſent, & Scioppius ipſe grauioribus operoſioribuſque negotijs plus pluſque indies implicaretur, omnis illa Imaginum declarandarum cura fuit depoſita. Superioribus demum diebus, literis viri Illuſtris MARCI VELSERI, Duumuiri Auguſtani, rogatus Scioppius, ne Gallæo, qui maximas in hoc opus impenſas feciſſet, ſuum illud bene de publico bono merendi ſtudium fraudi ac damno eſſe pateretur, quod omnino futurum cenſeret, ſi nudæ ac velut mutæ Imagines ederentur: vt quoquo modo illis ſatiſfieret, hoc mihi, quamuis neque ipſi ſatis otium à quotidiana ęgrorum cura & lectione medica habenti, oneris impoſuit; vt, quoniam ſæpiſſimè cum illo apud Fuluium fuiſſem, neque minùs ſępè, quàm ipſe, ſacra illa Antiquitatis monumenta tractaſſem, manibuſque & oculis vſurpaſſem, Notas tam ſuas Latinas, quàm Fuluij Italicas diligenti lectione recognoſcerem, ac nonnulla, quæ deeſſe forſan viderentur, adderem, alia verò ſuperflua & otioſa præciderem. Ego voluntate viri clariſſimi, cui ob ſumma eius erga me merita, coniunctionemq; inter nos artiſſimam, nihil

ſaluo

ſaluo officio negare poſſum, morem, quoad eius per tenuitatem meam potuit fieri, geſſi; libellumque hunc, ex illis quas dixi Notis conflatum, voto publico diutius debere nolui. Quoniam verò, ſi Scioppius ipſe operi huic manum admouere potuiſſet, nec eum ab his leuioris notæ ſtudijs abſtraheret amor boni publici, in quod ipſum omnes ſuas curas cogitationeſque conferre ILLMA CELDO V. præter ceteros atteſtari poteſt; quippe quam ipſe omnium ſuorum conſiliorum & actionum conſciam, nec participem modò, ſed ducem etiam auctoremque habere ſolet; ad neminem potiùs, quàm ad CELS. V. libelli ſui nuncupatione aditurus fuiſſet: religionem mihi duxi, vel hac in re quicquam ab ipſius voluntate diſcrepare. Sic igitur libellum hunc, exiguum illum quidem, ſed tamen ſi nulla alia re, Scioppiano certè & Fuluiano nomine commendabilem, (cùm de me inter viros illos modeſtia mea meminiſſe ne prohibeat) ILLMÆ CELNI VRÆ offero, vt eum in gratia veſtra fauoreque mihi conciliando efficaciſſimi pararij aut proxenetæ loco futurum eſſe confidam; nulloque modo dubitem, amoris illius partem, quo non Scioppium dumtaxat, ſed vniuerſam Germanicam natio-

nem,

nem, maximo complectitur, in me, dignitatis, & quibus illam peperit, eruditionis ac virtutis suæ religiosissimum cultorem, deriuatum iri. Romæ, ad S. Spiritus in Saxia, mense Iulio. Anno M. DC. VI.



LECTORI

LECTORI S.

QVONIAM *ex Euripidis sententia*, τὸ γεῦμα τὴν ὠνὴν καλεῖ, gustatio emptorem allicit: *nequaquam alienum aut absurdum factu iudicaui, si eorum, quæ hoc* Imaginum *opere continentur, nonnulla velut in antecessum tibi delibarem; gustumque, ex quo iudicium de reliquo facilè facere posses, præberem. In eo igitur, vt misso antelogio rem ipsam loquar, videre erit, quasi rediuiuos omnes eos, quos prisca sæcula ob conditas vrbes, latas leges, magistratus laudabiliter administratos, res pace & bello fortiter sapienterque gestas, sapientiæ studia exculta, & variarum denique rerum, vt Lucretius loquitur*, dia reperta, *vnicè suspexerunt, & partim diuinis fuerunt honoribus prosecuti. Hic Hëroum videbis antiquissimorum effigies, partim in gemmis sculptas, partim numismatis à ciuibus eorum, memoriæ ergô, impressas*; Byzantis, Hellenis, Oenei, Pergami, Tmoli, Tomi, *& præ omnibus laudati illius* Herculis. *Hic in viuas intueberis figuras summorum Imperatorum, Ducumque bellicorum*, Alcibiadis, Amilcaris, Annibalis, M. Antonij, Arati Sicyonij, Arrij secundi (*cuius annulus signatorius apud eundem Fuluium exstabat*) M. Claudij Marcelli, Cimonis Atheniensis, P. Cornelij Sullæ, L. Cornelij Lentuli Lupi (*cuius Imago à Tiburtinis in memoriam eius facta, & Tiburi publicè asseruari solita, eiusdem Fuluij thesaurum & mundum antiquarium exornat*) Scipionis Africani (*cuius caput ex statua quæ ipsi Literni posita fuerat, superest, & hoc libro repræsentatur, itemque ex annulo, qui filij eius fuisse creditur, expressa eius effigies*) Fausti Sullæ *cum cidari,*

dari, siue diademate, quod ipsi Mithradates donarat; Germanici Cæsaris, L. Iunij Bruti (*cuius statuæ reliquum extat caput in Capitolio*) Marci Iunij Bruti (*cuius imago ex illo expressa est nummo, cuius Dion meminit*) C. Labieni Parthici, Magonis, Caij Marij (*cuius hæc sola, quæ hîc proponitur ex Cameo, vera est effigies, cùm ceteræ omnes sint commentitiæ*) Miltiadis, Scipionis Nasicæ (*cuius imago extat in numo qui cusus ab Vrbe condita anno* DL. *ætatis verò eiusdem* XXVIII.) Phocionis, *eius cui ferè soli Magnus Alexander salutem in literis scribere solebat*, Pittaci, Cn. Pompeij (*cuius signatoria gemma ex eo birullo repræsentata, cuius Appianus meminit*) M. Porcij Catonis, P. Valerij Poplicolæ, C. Seruilij Ahalæ (*cuius æneum ex statua antiqua caput apud Farnesium Cardin. hodie extat*) T. Quinctij Flaminini *cum elogij sui literis*, τ. φ. θ; *&* Themistoclis, *cuius statua ab Atheniensibus ipsi dedicata, licet capite trunca, hoc in libro videtur. Hîc ora & vultus summorum olim Regum videre datur*, Alexandri Magni, Alexandri Epirotæ, Amyntæ, Anci Marcij, Antiochi Magni, Antiochi Epiphanis, Ariarathis, Ariobarzanis, Demetrij Poliorcetæ, Gelonis, Hieronis, Iubæ *primùm Regis, postea Historici*, Iubę *filij cum elogio G. T. M T. id est, Genius Tutelaris Mauritaniæ*, Iulij Cæsaris, Minois, Mithradatis, Nicomedis, Numæ Pompilij, Persei, Philippi Epiphanis, Philippi Macedonis, Prusię, Ptolemęorum, Pyrrhi Epirotę, Romuli, Seleuci, & Tatij. *Hîc Reginarum superstites vultus*, Arsinoës, Cleopatræ, *&* Philistidis: *hîc duarum diuersissima quamuis fama nobilium formam, Q. nimirũ* Claudię Vestalis, *&* Iulię *Augusti filiæ, cum admiratione videre potes. Hîc Heliconiadum*

comites

comites, hoc est, Poëtas illos antiquos, coràm quasi visere licebit, Alcæum, Anacreontem, Aratum *illum Solensem in sidera intuentem,* Aristophanem, Callisthenem, Euripidē (*cuius statuæ ab Atheniensibus ipsi positæ caput Farnesius Card. habet*) Hesiodum, Homerum (*cuius effigiem repræsentat caput eius statuæ, quam Ælianus olim possedit*) Menandrum (*cuius Hermes superstes eiusdem Æliani fuerat*) Moschionem, Persium, Philemonem, Pindarum, Pytheum, Sappho *Poëtriam,* Sophoclem, Terentiū, Theocritum, *& primo loco nominandum* Virgilium. *Hic repræsentatos tibi videbis, sapientiæ illos cultores & amicos,* Pittacum, Antisthenem, Apollonium Teaneum, Apuleiū, Archytam *cum cylindro & cubo,* Aristippum, Aristotelem, Carneadem, *eo (vt fert opinio) tempore sculptum, quo Romæ legatum egit,* Cratippum (*Ciceronis filij præceptorē,* Heraclitum, Magonem, *cum* Dionysio Vticensi, Maximum *Iuliani Imp. præceptorem,* Platonem, Catonem, Possidonium, Pythagoram, Senecam, Socratem, Solonem, Speusippum, Theophrastum, Xenocratē, & Zenonem. *Hic expressa cernere est insignium Legū latorum simulacra;* Solonis, *&* Zaleuci; *& Oratorum nobilissimorum,* Æschinis, Andocidis, Cælij Caldi, Isocratis, Leodamantis, Lysiæ, *& antesignani eorum,* M. Tullij Ciceronis, *cuius hic repræsētatur numus, æuo eiusdē & anno ætatis eius* XLVI. *à Magnesiis percussus. Hic duo visenda se exhibent Iuris consultorum lumina,* Seruius Sulpicius, *&* Papinianus *cum sua* Plautia: *& Historici palmarij,* Herodotus, Thucydides, *&* Sallustius; *quibus meritò accesemus* Iubæ *regno exuti imaginem.* Hippocratis *quoque Medici simulacrū tueri delectabit, & Grammatici* M. Mettij Epaphroditi, *Militis*

Cynegiri, & *Athletæ* Milonis. *Neque non gratum esse poterit, trigam illam summæ & formæ & expectationis iuuenum cernere,* Hiacynthi, Hylæ, & M. Claudij Marcelli, *cuius gemma videtur insculpta ad exprimenda hæc Virgilij de eodem ipso verba:*

Egregium forma iuuenem, fulgentibus armis;
Sed frons læta parum.

Quis verò non æstimet, summoque teneatur desiderio videndi illa celebratissima olim artificum opera à nobis expressa, Augusti *scilicet senis,* & Liuiæ, *itemque* Iuliæ *Augusti filiæ imagines à Dioscoride scalptas; cuius etiam, vel certe Zosimi opus creditur* Marcelli *(de quo modò loquebar) effigies, nisi Epitynchani fuerit, qui & Germanicum sculpsit, quem hîc imitando expressum videmus.* Aristotelis *quoque in Diaspro simulacrum à Mycone factum, itemque illud marmoreum, quod Atticus habuit, & de quo Cicero meminit, meritò quemuis ad se alliciat. Et hoc igitur est opus illud, quod postremum* Fvlvivs *ὁ μακαρίτης literarũ amatoribus & veteris memoriæ studiosis communicare voluit. Hoc tu, beniuole Lector, cum commodo tuo fouere; reliquarumque Fuluianarum in bonos auctores,* Varronem, Agellium, Nonium, Apuleium, Catullum, Tibullum, Propertium, *inprimis autem* Tertullianum, *Notarum & Emendationũ,* Scioppii *nostri fidei concreditarum, editionem æquo animo exspecta: siquidem commissurus non videtur Scioppius, vt habeant plagiarij isti postremi hominum, cur sibi, quod iam facere cœperunt, editione eorum, quæ partim ex Vaticana (in qua omnes melioris notæ libri, à Fuluio isthuc legati, publicè asseruantur) partim Scioppiana Bibliotheca clepserunt, & suffurati sunt, diutius gratulentur. Vale.*

IOANNIS FABRI Bambergensis

IN IMAGINES ILLVSTRIVM, EX FVLVII VRSINI Bibliotheca, COMMENTARIVS.



Mago ÆMILII LEPIDI, quæ in numismatis eius argenteis aureisque reperitur, impressis, vt videtur, eo tempore, quo ipse vnà cum Augusto & M. Antonio Triumuir erat R.P.C., ad quorum similitudinem hæc est effecta; dubium prorsus nullum est, quin ad archetypum aliquod sit expressa, quamuis non vsque adeò fabrè facta. vnde illud artificij maioris caput delineatum est, quod in quadam annulari gemma insculptum visitur; illi fortasse non absimile, quod ab inaurata illa statua repræsentabatur, quam Cicero, se decernente, Lepido in Rostris, loco Fori Romani celebratissimo, positam fuisse scribit in Philippicis. 1

Caput ÆSCHINIS præstantissimi Oratoris, qui Demostheni 2
æquæuus, & æmulus fuit, iam compluscculis abhinc annis cum multis aliorum virorum illustrium capitibus in villa Hadriani Imperatoris Tiburtina repertum est; ex Græcia, vt existimatur, olim allatum, & fortean Athenis, quæ ipsi patria erat. vbi hominibus eruditis moris erat Hermas poni quadratos, cum lit-

teris item quadratis, ad significandam virtutis soliditatem, cùm ea statuarum forma sit reliquis perfectior: sicut & homo quadratus, perfectus dicitur, Græco verbo τετράγωνος ἀνήρ. Quæ causa fuit, vt eiusdem formæ statuæ Mercurio quoque ab antiquis ponerentur, quas à Græco eius nomine Hermas appellarunt; vti paullo pòst, cùm de Andocide sermo erit, pluribus dicemus.

A M. AGRIPPÆ L.F. imago frequens est in numis æreis, & argenteis, sed vt plurimum rostrata cum corona. Quam vero nos edimus, desumpta est ex Cameo pulcherrimo, qui non rostratam, sed lauream exhibet in eius capite coronam; qua quidem corona, in numo item quodam æreo ab Hispanica Colonia cuso, cernitur coronatus. Huius filius fuit *Agrippa Postumus*, ex Iulia Augusti F. natus; quem Augustus post obitum C. & L. Cæsarum fratrum adoptauit, vna cum Tiberio, anno ab V. C. DCCLVI. Sex. Ælio, C. Sentio Coss. eiusque imaginem putamus eam esse, quæ in denario quodam Augusti argenteo media est inter Caij & Lucij imagines. Horum enim esse tria illa capita existimamus, quæ alij ad Triumuiros R.P.C. non benè referunt, tum quòd minimè conueniunt cum ijs imaginibus, quæ vulgò circumferuntur Triumuirorum, tum quòd capita illa puerorum sunt. Absurdum autem fuisset, Triumuirorum imaginibus, inter quos numeratur Augustus, in postica denarij parte positis, eiusdem Augusti imaginem in antica parte iterum ponere. Extat enim alius denarius, in quo pro capite *Augusti*, impressa est *Veneris* effigies, quæ ad familiam pertinet *Iuliam* per Æneæ filium *Iulum*, in qua familia per adoptionem Augusti inserti sunt C. & L. Cæsares, & *Agrippa* hic *Posthumus*, qui ob ferox ingenium in Insulam Planasiam relegatus, ibi statim ab Augusti morte, iussu Tiberij necatus est. De rebus autem à *M. Agrippa* gestis, omnes fere scriptores meminerunt, quos erit operæ pretium consulere.

3 Caput ALCÆI, qui vnus fuit ex nouem lyricis Poëtis, ex antiquo numo æneo repræsentatum est, in quo legitur ΜΥΤΙΛ; qui numus inuersus caput exhibet *Pittaci*, vnius ex septem Græciæ

Græciæ ſapientibus. Cuſus eſt autem à populo Mytilenenſi in honorem ſuorum ciuium, vt & ſibi quoque id honori eſſet, cùm *Pittacum* & *Alcæum* eo monumento Mytilenis oriundos oſtenderent: ſicut & in alio quodam numo argenteo Sapphûs Poëtriæ effigiem expreſſerunt, quòd & illa Mytilenæa eſſet. Quo exemplo Ariſtoteles Chios Homeri, Parios Archilochi, tametſi maledici, caput in numiſmatis ſculpſiſſe ſcribit. id quod & in alijs numis à diuerſis gentibus in honorem ciuium ſuorum, vt ſuo loco dicemus, factum eſt.

Caput ALCIBIADIS in gemma, quam Italico idiomate 4
Corniolam vocant, viſitur forma ouali ab artificioſa manu expreſſum, vt & alterum, quod forma eſt quadrata; vt non abſimile vero videatur, ſi dicamus vtrumque gemmæ anularis loco fuiſſe. Hanc autem eſſe ipſam Alcibiadis imaginem, ex comparatione alterius Corniolæ apparet, quam Petrus Bembus Cardinalis habebat; in qua præter Alcibiadis effigiem, Socratis quoque caput cum eius nomine Græcis litteris inſculpto videbatur. Extabat etiam ſuperioribus annis antiqua ſtatua marmorea in forma Socratis Alcibiadem amplexantis, quæ inter antiquitates Angeli Colotij Epiſcopi Nucerini, prope aquam Virginem conſpiciebatur; cuius mentionem facit Andreas Fuluius tempeſtatis illius antiquarius: quæ ſanè ſtatuæ Socratis & Alcibiadis, non abſimiles ijs, quas modò nominauimus, repræſentant imagines. Neque dubito quin aliquammultæ anulares gemmæ, in quibus caput Sileni & Fauni ſimul viſitur, Socratis & Alcibiadis imagines referant; cùm Plato ſcribat Socratis effigiem Silenum repræſentaſſe, Xenophon etiam de eodem referat, ὅτι ἐτύγχανε προσεμφερὴς ὢν τοῖς Σιληνοῖς, id eſt, *quòd erat aſsimilis Silenis*. Hinc factum eſt, vt vtriuſque caput antiqui ſculpentes ſimul exprimerent, cùm alterum pręceptoris ſit, alterum diſcipuli: qua de cauſa in Corniola quadam vna cum Platonis capite Socrates quoque viſitur, vt ſuo loco dicetur.

Caput ALEXANDRI MAGNI, in numis argenteis re- 5
peritur, qui ex altera parte *Lyſimachi* nomen exhibent. Cornua

nua autem arietis geſtat ob hiſtoriam quam Græci ſcriptores de illo ſcribunt, quòd nimirum fuerit Iouis Ammonis filius, cui cornua arietis affinxere. Propterea in ſculptura Corniolæ,
6 quæ ſecundo loco cernitur, caput OLYMPIADIS & ALEXANDRI exprimens, in pectore ipſe Alexander Iouis Ammonis caput tenet; ſicut Scipio Africanus Serapidis, vt ſuo loco dicemus. Plutarchus ſcribit, Alexandri matrem Olympiadem à ſerpente compreſſam, ſecretum hoc reuelaſſe, quòd nimirum Alexander non Regis Philippi, ſed Iouis Ammonis filius eſſet, ex quo in draconem commutato ipſa Alexandrum conceperit. Idem ſcribunt, Arrianus, Q. Curtius, & alij; & hoc amplius, quod cùm Alexander ad Iouis oraculum acceſſiſſet, ſciſcitaturus de patre ſuo, excipiens eum Iouis ſacerdos Græcè non bene loquens, cùm ei *ὦ παιδίον*, id eſt, *ô fili*, dicturus eſſet, dixerit *ὦ παῖ Διὸς*, hoc eſt, *ô fili Iouis*, littera N. in Σ. commutata. Quæ quidem hiſtoria in gemma quadam anulari exprimitur, in qua inſculptus eſt Alexander, & ſacerdos, qui Iouis Ammonis caput forma arietina tenet, idque Alexandro, veluti patris ſui caput commonſtrat. Itaque in alia gemma (quam Cameum Itali vocant) caput Olympiadis & Alexandri galeatum cum imagine Iouis Ammonis in pectore ſimili exemplo inſculptum eſt; quę res hiſtoriam ſuperiorẽ mirificè confirmat. Imago galeata reperitur etiam in numiſmate aureo, cum Alexandri nomine in altera numi parte expreſſo: quod quidẽ numiſma cum alio numo aureo conuenit, qui inuerſus, loco ſedentis Palladis, leonem exhibet, & clauam, quæ familiæ regum Macedoniæ inſignia fuerunt, ad oſtendendam ſuam ab Hercule originem: cùm ſcribat Plutarchus Regem Philippum Alexandri patrem non alia de cauſa leonis imaginẽ pro ſigillo vſurpaſſe. Exſtat aliud eiuſdem caput in ſapphiro gemma, quod præter artificium, vix habet quicquam aliud notatu dignum, niſi quòd hedera coronatum ſit: cuiuſmodi coronam Alexander ad Bacchi imitationem poſt victoriam Indicam portare cœpit: vnde non ineptè ſuſpicari quiſquam poterit hanc gemmam in anulo geſtari ſolitam à quopiam, eius ſuperſtitionis ergô, cuius Trebellius Pollio in Macrianis hoc modo commeminit: *Alexandrum Magnum*

gnum Macedonem viri in auro, & in argento; mulieres, & in reticulis, & dextrocherijs, & in anulis, & in omni ornamentorum genere, exsculptum semper habuerunt: eò vsque, vt tunicæ, & limbi, & penulæ matronales in familia eius hodieq; sint, quæ Alexandri effigiem delitijs variantibus monstrent. &c. Ea de causa multa reperiuntur antiqua monumenta, tam in numis aureis, quàm in gemmis varijs, cum Alexandri capite, quas omnes ei superstitioni seruijsse verosimile videtur.

Caput ALEXANDRI EPIROTÆ, qui filius fuit Pyrrhi, 7
& frater Olympiadis matris Alexandri Magni, ex numo eius argenteo tetradrachmo, hoc est drachmas quattuor valente, artificiosè facto, desumptum est. Inuersus ille, ipsius Alexandri nomen continet. De rebus eius gestis Historici, maximè Iustinus Trogi abbreuiator, copiosè meminerunt. Et Iustinus quidem sub initium libri XII. suæ epitomæ scribit, hunc Alexandrum Epiri Regem in Italiam, à Tarentinis auxilia aduersus Lucanos Brutiosque deprecantibus sollicitatum, venisse; & posteà Pandosiæ, iuxta oraculum Dodonæum occubuisse. Et quoniam in Africa quoque & Sicilia Alexander hic bella gessit, hinc factum creditur, cur caput capite elephanti cum proboscide tegat; cùm hoc animal locorum illorum proprium sit. Corpus eius, vt scribit Iustinus, Thurij publicè redemptum sepulturæ tradiderunt.

Caput ALEXANDRI, cuius nomen inuersa numi argen- 8
tei tetradrachmi pars litteris Græcis descriptum continet, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, artificiosè satis factum est: quòd autem pater eius cognomen haberet ΘΕΟΣ, ipse ΘΕΟΠΑΤΩΡ dictus est, & item ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ à beneficentia: qui titulus, vt ex alijs numis suo loco positis videre erit, multis Regibus communis fuit.

Caput AMILCARIS, qui pater fuit Annibalis, est ex nu- 9
mo argenteo tetradrachmo expressum. Is numus fuit olim Petri Contareni Patricij Veneti, qui ex literarum Punicarum, quæ in eo visuntur, explicatione sibi facta, eam Amilcaris effigiem

esse credidit. Qua de re dubitari non debet, cùm valde similis sit ea imago illi, quæ in veteri Cameo habetur: in quo, præter Amilcaris caput, est etiam ipsa Annibalis etiamnum pueri imago expressa; quæ valde cum Corniola gemma conuenit, in qua visitur sacrificium illud ipsius Amilcaris, quod celebrant Historici, & de quo nos infrà in Hannibale. Ista gemma, quæ vulgò dicitur *Cameus*, optimè exprimit habitum Africanum, & operimentum capitis visitatum eius regionis hominibus, vt & marmora nonnulla, aliæque gemmæ anulares testantur.

10 Caput AMYNTÆ Macedoniæ Regis, qui fuit pater Philippi, & Auus Alexandri Magni, in numis eius argenteis tetradrachmis cum Græco nomine ΑΜΥΝΤΟΥ reperitur. Neque dubito, quin exuuiæ illæ leonis in eius capite positæ originem illius ab Hercule designent: quæ quidem communia fuerunt Regum Macedoniæ, & in primis Alexandri Magni, insignia.

11 Caput ANACREONTIS Poëtæ, qui vnus fuit è nouem Lyricis, ex numo æneo, mediæ magnitudinis, repræsentatum est: qui numus à populo insulam Teum incolente in honorem ciuis sui cusus est; ita vt hinc caput ipsius Anacreontis lauro coronatum vnà cum nomine eiusdem, illinc nomen patriæ ΤΗΙΩΝ, (vnde eum Horatius *Anacreonta Teïum* vocauit) itemque *Bathilli*, tantopere ab Anacreonte celebrati, imaginem exprimeret; sicut ex litteris, quæ in orbe numi tales visuntur, ΒΑΘΥΛΛΟΣ, intelligitur. Alia effigies, huic persimilis, in quadam pulcerrimi coloris Corniola apud Fuluiũ Vrsinum conspicitur, ab excellente artifice sculpta: quam, à quodam Anacreontis & poëmatum eius studioso, in anulo gestari solitam crediderim.

12 Caput ANCI MARCII Regis, ex numo argenteo expressum est; quem Marcius Philippus, cùm Triumuir Monetalis esset, cudi fecit ad significandam familiæ suæ originem. Quam ob causam Marcius quoque Censorinus ex eadẽ oriundus familia, cùm itidem Triumuir esset, numismata cudit ęnea mediæ magnitudinis; in quibus capita Regum, Anci Marcij, & Numæ Pompilij (ex cuius filia Ancus ipse natus erat) impressa cernimus.

cernimus. Sed huiusmodi historiæ sunt cognitissimæ ijs, qui rerum Romanarum lectione delectantur.

Hermes ANDOCIDIS Leogoræ filij, vt inscriptio indicat, ΑΝΔΟΚΙΔΗΣ ΛΕΩΓΟΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ, sine capite est: quod quidem trũcatum videtur potiùs iniuria temporũ, quàm petulantia Alcibiadis; qui dicitur vna nocte omnium Hermarum, qui Athenis erant, capita deiecisse, vt refert post Cornelium Nepotem Plutarchus, excepto eo, qui erat Andocidis, Oratoris disertissimi, dicatus ei ab Ægeide tribu, forma quadrata. Hac enim velut perfectiore, Mercurij scientiarum artiumque inuentoris statuæ fieri solebant: quas à Græco eiusdem Mercurij nomine *Hermas* appellabant, ijsque hominum illustrium, qualis erat Andocides, capita superimponebant, eademque inde nominibus eorundem indigitabant: verbi gratia, *Hermathena* dicebatur Hermes, cui Mineruæ caput; *Hermeracla*, cui Herculis erat superpositum: cuiusmodi hic, de quo nunc nobis sermo est, *Andocidis*. 13

Caput ANTIOCHI cognomento MAGNI Syriæ Regis, cum quo Romani bellum Asiaticum siue Antiochenum gesserunt, & de quo L. Cornelius Scipio ex eadem victoria *Asiaticus* dictus triumphauit, ex numis eius aureis & argenteis desumptum est. Qui numi rari sunt artificij, & aureus octo drachmas habet: vterque inuersus, Antiochi ipsius nomen exprimunt; alter hoc modo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, alter verò sic: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Belli* istius *Asiatici* grauitatem & magnitudinem, omnes cùm Græci, tùm Latini rerum Romanarum scriptores diligenter scripserunt; in quo Scipio Africanus fratri suo legatus fuit, itemque Annibal fuit ipsius Antiochi consiliarius, apud quem etiam opera parùm laudata T. Quinctij Flaminini paullò pòst obijt: vt refert Scriptor de viris illustribus, cap. XLII. & LI. 14

Caput ANTIOCHI cognomento EPIPHANIS Syriæ Regis, Antiochi illius Magni filij, de quo iam diximus, ex numis eius expressum est, tam aureis, quàm argenteis, artificiosissimè factis. 15

Vtrumque numiſma, & nomen eius, & cognomen, poſtica ſiue inuerſa parte exhibet hoc modo : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ; quamuis ab Athenæo pro EPIPHANES, hoc eſt *illuſtris*, propter inſignem eius dementiam ἐπιμανής, hoc eſt *furioſus* fuerit appellatus, quod idem in Machabæorum hiſtoria legitur. Adoleſcens etiamnum Romæ pro obſide fuit, remiſſus poſteà Seleuco fratri ſuo: cui deinceps, adiuuantibus Attalo & Eumene, in regno ſucceſſit, idque per annos duodecim obtinuit. Quo tempore cùm bellum aduerſus Ptolomæum Ægypti Regem pararet, circulum legato Pop. Romani M. Popilio Lænate, minis additis, humi ſcribente, nimirum, vt antequam circumſcriptione illa egrederetur ſibi reſponderet, belli conſilium abijcere coactus eſt.

16 Caput ANTIOCHI Syriæ Regis, cui Ioſephus cognomentum addit ΘΕΟΣ, ex numiſmate argenteo tetradrachmo repræſentatum eſt, quod hæc inſuper cognomina ei tribuit: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Huius Antiochi, præter Florum, Iuſtinum, & Ioſephum, complures alij Hiſtorici meminerunt.

17 Caput ANTIOCHI Syriæ Regis, qui in numo argenteo tetradrachmo EVERGETES cognominatur, idem fortè eſt cum eo, qui in quodam alio numo PII inſuper cognomento affectus eſt. Sic enim habet inſcriptio : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Huius Appianus & Iuſtinus meminere, eumque à Tigrane Armeniæ Rege regno exutum ſcribunt.

18 Caput ANTIOCHI Syriæ Regis, ſine cognomento, ex numo deſumptum eſt, quem à Tyrijs cuſum inſcriptio indicat, ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. Is numus, quod ordinarium eſt huiuſmodi numorum pondus, quattuor argenti drachmas continet.

19 Caput ANTIOCHI Syriæ Regis, quod in numo argenteo tetradrachmo cum capite Cleopatræ coniugis eius viſitur, tametſi ΓΡΥΠΟΥ titulo careat, idem tamen videtur eſſe cum eo,

eo, quod in numis alijs cum hac inſcriptione cernitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΓΡΥΠΟΥ; quod ipſi cognomen fortaſſe ab aduncitate naſi inditum eſt. Eius Ioſephus, Appianus, Iuſtinus, & Athenæus lib. 12. cap. 19. pluribus meminerunt, ſcribuntque Cleopatram vxorem eius cognomen ΣΕΛΗΝΗΣ ſiue *Lunæ* habuiſſe; filium autem eius *Antiochum, Dionyſij*: conuenienter cum eo numo æneo, qui caput radiatum & hedera coronatum habet, cum hac inſcriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, vt ita Bacchi caput non eſſe facilè appareat.

Caput Antiochi Commagenorum Regis, ex æneo mediæ magnitudinis numo deſumptum eſt, in cuius antica parte B inſculptum eſt ΒΑΣΙ. ΜΕΓΑΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑ: in poſtica autem ſiue inuerſa parte ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, id eſt *Commagenorum*, qui ſanè populi numiſma illud cuderant. Huius Cicero lib. 15. epiſtola ad Senatum ſæpiùs meminit: denique Strabo, & Dion; qui etiam ſcribunt, quòd bello Ciuili, Pompeio contra Cæſarem auxilia miſerit, cùm tamen à Pompeio priùs, victo Tigrane, oppugnatus fuiſſet: à quo, poſteaquam cum eo in gratiam redijſſet, Seleuciam Meſopotamiæ vrbem obtinuit.

Caput Antisthenis primi Philoſophi Cynici, qui *κύων*, id eſt *Canis*, itemque *ἁπλοκύων*, id eſt *Canis ſimplici veſte vtens*, teſte Laërtio, cognominatus fuit, ſine barba in hac gemma conſpicitur; cùm tamen Soſicrates apud Diogenem Laërtium ſcribat, hunc fuiſſe primum ex Philoſophis, qui barbam promiſerit. Vnde colligere liceat, hanc effigiem, quæ ex amethyſto artificioſâ operâ perfecto repræſentata eſt, itemque ſimilem aliam, quæ extat apud Fuluium Vrſinum paullò minor, prius fuiſſe factas, quàm Antiſthenes barbam alere incœperit. In vtraque iſta gemma lora ſiue vincula apparent, quibus peram adſtrinxit; qua ille primus vſus fuit, vt & pallio duplici, itemque baculo Philoſophorum, ſicut apud Laërtium Diocles auctor antiquus ſcribit. Legitur phthiſi perijſſe, ac macilentus fuiſſe; id quod etiam in hac eius effigie animaduertitur. Vide inf. *Diogenem Cynicum*.

21 Caput C. ANTII RESTIONIS, ex numo eius argenteo, cuius cum denario Romano idem eſt pondus, repræſentatum eſt. Hic Ciceronis coętaneus fuit, & *à Triumuiris proſcriptus, quamuis*, ſcribente Macrobio, *incredibili quadam ſerui pietate ſeruatus fuit.* &c. Idem poſt latam à ſe legem ſumptuariam, qua ſumptus conuiuiorum ad certum modum redegerat, ne eam contemtim haberi & proculcari cerneret, nunquam foris cænaſſe legitur.

22 Caput L. ANTONII, qui *M. Antonij* Triumuiri R. P. C. frater erat, ex numo eius argenteo, cuius pondus denario Romano æquale, deſumptum eſt. Is numus, vt apparet ex inuerſa ſeu poſtica eius parte, quæ caput M. Antonij exhibet, primo quinquennio Triumuiratus eiuſdem M. Antonij cuſus fuit à M. Licinio Nerua tum Proqueſtore; cùm *L. Antonius* hic Conſul eſſet, vt apparet, ante bellum Ciuile Peruſinum: quod ipſe contra Auguſtum geſſit, quodque præter multos alios Hiſtoricos Appianus Alexandrinus copioſiſſimè deſcribit.

23 Caput M. ANTONII ex Corniola quadam antiqua expreſſum eſt, multo artificioſiùs, quàm id quod reperitur in numis eius aureis, argenteis, æneiſque; quos diuerſis temporibus cuſos fuiſſe, diuerſitas monetariorum, & titulorum quoque ipſius Antonij, oſtendit. Plutarchus in eius vita ſcribit, eum in adoleſcentia forma pulcrum & amabilem fuiſſe; id quod ipſa Corniola exprimere videtur, cùm artificij maioris ſit, quàm numi eius: in quibuſdam tamen argenteis, in primo & ſecundo eius Triumuiratu cum Auguſto adoleſcente cuſis, neſcio quid artificioſius, quàm in cæteris animaduertere licet. Vide inf. *Cleopatram.*

24 Caput APOLLONII TEANEI (cuius vitam Philoſtratus libris nouem complexus eſt) ex numo magno æneo repræſentatum eſt; in quo nomen eius, & cognomen, quamuis vitiosè, cùm *Tyaneus* non *Teaneus* ſcribi debuiſſet, expreſſum eſt. Non eſt autem is numus vſque adeò artificiosè factus, neque nimis antiquus, ſed ex illo numorum genere, quos *Contorniatos* appellant

appellant à circulo in eis addito; quique ſub Imperatoribus poſterioribus, memoriæ ergô, non tanquam monetæ cuſi ſunt. Lampridius in vita Alexandri Seueri Imperatoris ſcribit, eum Apollonij imaginem in larario ſuo ſanctè coluiſſe. Vopiſcus item ſtatuam & imaginem eius ab Aureliano Imperatore dedicatam, Xiphilinus inſuper eumdem à Caracalla Imperatore ſepultura cohoneſtatum, ſcribunt; quibus quidem temporibus numum iſtum cuſum fuiſſe, vero non abſimile videtur. Extat etiam apud Fuluium Vrſinum antiquus anulus aureus cum gemma amethyſto pulcherrima; in qua, præter nomen *Apollonij*, ſignum quoque *Dianæ* docta artificis manu impreſſum eſt: ob eam fortaſſe cauſam, quam referunt veteres ſcriptores, *Apollonium* ſcilicet ſingulis diebus anulos variaſſe pro planetarum varietate, atque hunc eſſe illum, quem diebus Lunæ dicatis (quæ eadem cum Diana eſt) geſtare ſolitus fuerit.

Caput L. Apvleii Madavrensis Philoſophi Platonici, 25
in numo Contorniato æneo, cuiuſmodi eſt ille *Apollonij*, conſpicitur cum nomine in ambitu: qui ijſdem fortè temporibus Alexandri Seueri, aut alterius alicuius Imperatoris, qui nominis eius ſtudioſus eſſet, cuſus videtur. Planè caput hoc cum illis conuenit, quæ de ſe ipſo Apuleius in Apologia ſcribit; obiectiones aduerſarij, eum tanquam formoſiſſimum philoſophum quique capillos concinnaret calumniantis, confutans. Inter alia & hæc ſunt: *Accuſamus apud te Philoſophum formoſum, & tam Græcè, quàm Latinè, pro nefas! diſertiſſimum. Niſi fallor enim, his ipſis verbis accuſationem mei ingreſſus eſt Tannonius Pudens, homo* &c. Et paullò poſt: *Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris promiſſum dixere, vides quàm non ſit amœnus ac delicatus, horrore implexus atque impeditus, ſtuppeo tomento aſsimilis, & inæqualiter hirtus, & globoſus, & congeſtus; prorſus inenodabilis diutina incuria, non modò comendi, ſed ſaltem expediendi & diſcriminandi. Satis, vt puto, crinium crimen, quod illi quaſi capitale intenderunt, refutatum eſt.* &c.

Caput Arati Poëtę Solenſis, numus æneus magnitudinis 26
mediocris

mediocris exhibet: quem Pompeiopolitæ, olim *Solenſes* dicti, in memoriam Arati ciuis ſui cudi fecerunt; ſicut ex inſcriptione numi apparet, ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. Inuerſus ille numus caput Philemonis Poëtæ Comici habet, qui & ipſe Solenſis fuit, vt ſuo loco dicemus. *Aratus* Poëta *Theocrito* Syracuſano, qui Bucolica ſcripſit, σύγχρονος & æqualis, vixit temporibus Hieronis Regis Siciliæ. Tametſi autem Aſtrologiæ non valde gnarus fuerit, magna nihilominus laude Phænomenωn libros conſcripſit; quod & Cicero 1. de Orat. his ipſis verbis teſtatur: *Conſtat inter doctos, hominem ignarum Aſtrologiæ, ornatiſsimis atque optimis verſibus Aratum de cælo ſtellisq; ſcripſiſſe.* &c. Propterea in numo hoc caput eius tanquam in cœlum intuentis expreſſum eſt. Suidas ſcribit, Aratum prope Pompeiopolim Ciliciæ ſepultum eſſe, quæ priùs à Solone Soli dicata fuerit. Et Pomponius Mela hæc adijcit: *Iuxta Solos in paruo tumulo Arati monumentum; ideo referendum, quia ignotum, quam ob cauſam iacta ad id ſaxa diſsiliunt.* &c.

C Caput ARATI SICYONII in numo extat, quem Sicyonij cuderunt in honorem & memoriam ciuis ſui, qui eos à tyrannide, qua oppreſſi erant, liberauit. Nomen Arati in poſtica ſiue inuerſa numi parte legitur; in qua quòd luna cum ſtellis quinque impreſſa ſit, dubitarunt nonnulli ad Aratum Poëtam, de quo ſuprà diximus, pertinere; eoque inclinarunt, vt hunc illum Poëtam Solenſem eſſe crediderint. Sed nimirum non animaduerterunt, illi diadema ſiue faſciam non conuenire, quam in capite geſtat, à Sicyonijs acceptam, tanquam Dux & liberator patriæ. Plutarchus pluribus de eo ſcribit in vita ipſius; & Polybius ſimiliter licet paucis, prudentiſſimis tamen verbis, Arati virtutem collaudat in fragmento quodam, quod apud Suidam Grammaticum reperitur.

D Caput ARCHELAI Macedonum Regis Perdiccę filij, ex numo argenteo didrachmo deſumptum eſt; in cuius numi inuerſa parte equus cũ Gręco nomine ΑΡΧΕΛΑΟΥ viſitur. *Archelaũ* hunc Cicero ſcribit fuiſſe feliciſſimum, lib. v. Tuſcul. Quæſt.

Caput

Caput ARCHYTÆ Philoſophi Tarentini, ex numo æneo 27
mediocris magnitudinis repræſentatum eſt. Eius numi antica
pars, nomen *Archytæ* notis quibuſdam inſculptum; poſtica pi-
ſcem quendam impreſſum habet, quod ſymbolum fuit à Ta-
rentina ciuitate in numiſmatis vſurpatum, eò quòd ciuitas illa
eſſet maritima, & in tutela Neptuni. Eiuſdem *Archytæ* figura
exſtat in Corniola veteri ſculpta, additis ſignis quibuſdam, hoc
eſt, Cylindro & Cubo, inſtrumentis Mathematicis, ab ipſo Ar-
chyta (vt Diogenes Laërtius in vita eius ſcribit) inuentis.
Hinc & Horatius venuſta Oda XXIIX. lib. I. Carm. in eius
laudem:

Te maris & terræ, numeroq́ carentis arenæ,
Menſorem cohibent, ARCHYTA, &c.

Eiuſdem Archytæ imaginem exhibere videtur, qui apud
Fuluium exſtat numus argenteus tetradrachmus, quem item
Tarentini in honorem ciuis ſui cuderunt; niſi dicere malimus,
eam Tarantis eſſe effigiem, qui vrbi Tarento à ſe nomen fecit,
cùm diſertim nomen ΤΑΡΑΣ numo illi inſcriptum ſit. Sed
eſſe Archytæ, veroſimilius videtur: cùm figuræ ſuperiori, quæ
in Corniola eſt; itemque ei, quæ eſt in numo æneo, prorſus
ſit ſimilis.

Caput ARIARATHIS Cappadociæ Regis, ex numo eius ex- 28
preſſum eſt, cuius æquale eſt cum denario Romano pondus.
Ipſe enim, & fratres eius, quòd populi Romani ſocij atque
amici, magniſque beneficijs ob id eis deuincti eſſent (quippe
Romani *Ariobarzani* eorum patri regnum conſtabiliuerant)
non ſolùm in monetis ſuis pondus Romanum obſeruabant ad
exemplum multarum ciuitatum, ſed Romana quoque inſignia
ijs imprimebant. Cognomen eius in dicto numo eſt ΕΥΣΕΒΗΣ,
hoc eſt PIVS; & videtur eſſe frater alterius ARIARATHIS, qui 29
in alio quodam numo ΕΠΙΦΑΝΗΣ, ſiue ILLVSTRIS cognomi-
natur. Vtrumque autem eſſe puto fratrẽ *Ariobarzanis* eius, cui
cognomina tribuuntur ΕΥΣΕΒΗΣ & ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΣ:
ita vt nihil neceſſe ſit hæſitare ſuper Ciceronis loco epiſt. 2.
lib. XIII. ad Attic. ſcribentis: *Ariarathes Ariobarzanis filius Ro-*

mam venit, &c. *Verumtamen quòd mihi*, *ſummo beneficio meo, magna cum fratribus illius neceßitudo eſt*, &c. cùm dictio *fratribus*, pro qua Manutius *fratre* legendum ſuſpicabatur, trium numorum auctoritate, & altero Ciceronis loco epiſt. 2. lib. xv. ad Senat. confirmetur, vbi ſic ſcribit: *Cùm enim veſtra auctoritas interceßiſſet, vt ego Regem Ariobarzanem Euſeben & Philoromæum tuerer*, &c. *poſtero autem die cum Ariarathe, fratre ſuo*, &c. *in his amantißimum ſui, ſumma pietate præditum fratrem, dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, ſe ſolicitatum eſſe, vt regnare vellet; id viuo fratre ſuo accidere non potuiſſe*, &c. ex quibus verbis nemo non videt duos eſſe fratres *Ariobarzanis*, vtrumque *Ariarathem* nominatum, ſed cognominibus *Euſebis* & *Epiphanis* diſtinctos. Iſtius *Ariobarzanis* caput proximè ſequitur, ex numo eius argenteo repræſentatum; in quo inuerſo, Pallas victoriam manu geſtans, vel potiùs *Roma* galeata, conſpicitur.

30 Caput ARIOBARZANIS, quod in poſtica eius numi parte ſic deſcribitur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ, omnino exiſtimamus eſſe patris illius ARIOBARZANIS, de quo paullò ſuperiùs eſt facta mentio, qui præter nomen ΦΙΛΟΡΩ-
31 ΜΑΙΟΣ dictus eſt inſuper ΕΥΣΕΒΗΣ, vt ex ſequenti numo apparet, cuius hæc eſt inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Hic autem is ipſe eſt *Ariobarzanes*, de quo Cicero in epiſtola modò adducta ad Senatum & ad Catonem, itemque pro lege Manilia his verbis commeminit: *Regno expulſus eſt Ariobarzanes ſocius populi Romani, atque amicus*. &c. Erat autem expulſus à Rege Mithradate, vt Hiſtorici referunt, quos operæpretium fuerit conſulere.

32 Caput ARISTIPPI Philoſophi Cyrenaici, in gemma Corniola ſolerti artificis manu inſculptum, prorſus illi aſſimile eſt, quod Pyrrhus Ligorius ex marmore, vt aiebat, deſignatum ac deſcriptũ habuit, cum eiuſdem nomine. Fuit Socratis diſcipulus, à Xenophonte & Platone (vt Laërtius refert) notatus, tanquam delicijs & voluptatibus nimis deditus; quam ob cauſam eum Socrati & Platoni minùs gratum fuiſſe legimus. Exprimit hæc

hæc effigies nescio quid molliculi ac delicati, atque earum elegantiarum quas in ipso Horatius notat, tanquam in Philosopho aulico: scribit enim lib. 1. epist. ad Scæuam.

Si pranderet olus patienter, Regibus vti
Nollet Aristippus.

Cicero etiam lib. 3. de Orat. *Tum ab Aristippo*, inquit, *quem illæ magis voluptuariæ disputationes delectarunt, Cyrenaica philosophia manauit.* &c. Propterea in vestitu, & odoribus, omniq; adeò vita, supra modum sumptuosus & delicatus fuisse legitur.

ARISTOGITONIS Atheniensis effigies adhuc nulla vsquam apparet; tametsi virtute, meritisque suis, statuas, aliaque monumenta complura obtinuerit. Hermes enim eius nunc capite truncatus visitur, solis his quadratis litteris reliquis, ΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΩΝ ΘΕΟΤΙΜΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Pausanias in libro, quo res Atheniensium complectitur, sepulturam eius describit. Et Valerius Maximus cap. 10. lib. 20. sic eius meminit: *Harmodij & Aristogitonis, qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies æneas Xerxes, ea vrbe deuicta, in regnum suum transtulit. Longo deinde interuallo temporis, Seleucus in pristinam sedem reportandas curauit. Rhodij quoque eas, vrbi suæ appulsas, cùm in hospitium publicè inuitassent, sacris etiam puluinaribus collocauerunt.* &c. Herodotus præterea scribit Aristogitonem, occiso Hypparcho fratre Hippiæ Tyranni Athenarum, liberatorem eius vrbis salutatum fuisse. 33

Caput ARISTOPHANIS, Poëtæ veteris Comœdiæ, quod in Herma eius marmoreo in villa Tiburtina Hadriani Imperatoris cum hac inscriptione repertum fuit, ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ, non præ se fert caluitium, cuius Plutarchus & ipse Aristophanes in Comœdia ΕΙΡΕΝΕ meminere. Suspicari ergo libet, Hermen hunc diuersa ætate fuisse factum: tametsi Aristophanes hoc caluitio vel maximè turpis fuisse memoretur, cùm reliqua corporis eius constitutio quadrata esset, & secundùm Græcum illud τετράγωνος: quod quidem non minùs ad animi, quàm ad corporis quadraturam, & soliditatem, ac perfectionem referri potest. 34

In inſcriptione non ſatis internoſci poteſt, *Philippides* ne an *Phidippides* ſit patris nomen, ob vicinitatem & ſimilitudinem litterarum Δ & Λ. ſed conſtat ex omnibus ſcriptoribus, quòd *Philippus* fuerit pater eius. Socratis temporibus vixit; in quem etiam, inſtinctu Anyti & Meliti, Comœdiam ſcripſit, quæ ΝΕΦΕΛΑΙ dicitur: quam Dionyſio Syracuſarum Tyranno miſit Plato, vt inde velut in ſpeculo, Reipub. Atticæ formam, vt petierat, intueri poſſet.

35 Imago ARISTOTELIS in marmore ſculpta, palliata Philoſophorum more, paulò minor eſt media ſtatuarum magnitudine, cuiuſmodi ſunt quædam aliorum Philoſophorum imagines. Quod argumentum eſt, fuiſſe illam ornandæ bibliothecæ potiùs alicui deſtinatam, quàm villæ. Baſi inſcriptum eſt, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ. Et quantum conijci poteſt ex loco vbi abhinc annos quatuordecim effoſſa fuit, in radicibus nimirum montis Quirinalis, credibile eſt hanc eſſe illam ipſam, quam T. Pomponius Atticus domi ſuæ habuit; de qua in epiſt. ad eum Cicero ſic ſcribit: *Malo ſedere in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis*, &c. Atticus autem, vt Cornelius Nepos & ipſe Cicero ſcribunt, in Quirinali domum habuit, &, vt veroſimile eſt, theca quapiam imaginem illam incluſit, ſub eaque ſedeculam poſuit. Sculpta eſt manu artificis faberrima, naſum habens quaſi aquilinum, vt & aliæ eiuſdem imagines: ætatem autem viri referre videtur quadragenarij, aut quinquagenarij, quo tempore comam totondiſſe legitur eodem prorſus modo, quo Theophraſtus eius diſcipulus; cuius imago raros, minimeque prolixos habet capillos, minuſque barbæ, vt & hæc Ariſtotelis. Porrò tonſuram illam ſcribit Ælianus, inter cætera, cauſſam fuiſſe diſſidij inter ipſum & Platonem; qui more Philoſophorum, & ſecundùm imagines eius, quæ in duabus Corniolis & in marmorea ſtatua exſtant, comam alebat, barbamq; promittebat: cùm è contrario Ariſtoteles, vt ſcribit Ælianus, ἐκείρετο κουρὰν ἀήθη τῷ Πλάτωνι: hoc eſt, *contra Platonis morem crines abradebat*: Et Laërtius alibi de eodem, ἐκείρετο, ſcribit, hoc eſt, *tondebatur*: quæ quidem res mollitiē quandam præ ſe ferre videbatur

videbatur, parũ Philoſopho dignam, vt Muſonius apud Stobęũ teſtatur, tametſi reliquam vitam ſuam *Ariſtoteles* modeſtiſſimè egerit: vt ita credibile ſit eum, non tam quòd delicatulus molliſque eſſet, tonderi ſolitum, quàm quòd naturæ aliquod vitium in facie hoc pacto tegere ſtuderet; cuiuſmodi eſſe poteſt paruitas oculorum eius, quę in marmore cernitur, ob quam à Laërtio μικρόμματος appellatur. Hinc ætate prouectior raſura vſus videtur, ex imagine eiuſdem, quæ eſt in tabella marmorea; & in gemma vulgò dicta ſardonis, quæ in pectore primam ſui nominis habet literam A. itemque ex effigie, quæ eſt in Diaſpro à Mycone ſcalpta: in quibus omnibus, præter raſuram, elegantiam quoque pallij, eiuſque plicas complures videre eſt, cuius rei nominati ſuperiùs ſcriptores meminerunt. Quos ſanè non videtur legiſſe is, qui caput Ariſtotelis comatum & barbatum finxit: tametſi eo tempore, quo rerum huiuſmodi notitia ſufficiens non habebatur, error iſte à compluribus pro veritate receptus, & confirmatus fuit. Nunc igitur meritò imago illa in hoc libro reijcitur, vt & generis eiuſdem nonnulla alia; cùm δεύτεραι φροντίδες, ſecundùm tritum illud Græcorum prouerbium, σοφώτεραι eſſe ſoleant.

Caput ARRII SECVNDI ex numo eius argenteo deſumptum, perquam ſimile eſt illi, quod in gemma anuli, quo ipſe ſignare ſolitus fuit, nimirum in amethyſto pulcherrima, viſitur. Et quamuis de hoc *Arrio Secundo* nihil alibi reperiatur, veroſimile tamen eſt eum Ciceroni coætaneum, & illum ipſum eſſe fortaſſe, de quo Cicero epiſt. VII. lib. 2. ad Attic. ſcribit: *Arrius ſibi conſulatum ereptum fremit*, &c. Operæpretium igitur fuerit videre illa, quæ in libro de Familijs Romanis ad *Arriani familiam* à Fuluio Vrſino ſcripta ſunt. 36

Caput ARSINOES Reginæ, quæ fuit filia Ptolemæi Ægypti Regis, & coniux Lyſimachi Regis Macedoniæ, ex numo aureo expreſſum eſt; in cuius parte poſtica legitur, ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Numus hic à Cyrenæis cuſus videtur, ob ſignum in capite ſculptum *Laſerpicij*, proprium Cyrenæorum inſigne, vt ex numiſmatis eorum pluribus apparet; cùm ea lo- 37

corum istorum planta fuerit, vt scriptores Græci dicunt, & Catullus testatur illo versu: *Laserpiciferis iacet Cyrenis*, &c. Cæterùm hac de re vberiùs, vbi ad *Ptolemæum Apionem* ventum erit, dicemus.

38 M. ATTILIVS REGVLVS spectatur in numis argenteis, constantiæ ac fortitudinis fideique erga pop. Rom. gratia meritò cusis, vt exitus declarauit. Consul enim anno post Ro. cond. CDLXXXVI. de Sallentinis triumphum egit. Iterumque anno V. C. CDXCVII. Cos. suffectus in Q. Cædicij in magistratu mortui locum, bello Punico primo, quo primus Romanorum Ducum in Africam classe traiecit. Ea quassata, de Amilcare naues longas tres & sexaginta cepit, ait Scriptor de Viris illustribus cap. XL. Mox arte Xantippi Lacædemonij mercenarij militis captus, in carcerem missus. Legatus dehinc de pace ac permutandis captiuis Romam missus anno DII., dato iureiurando, vt si non impetrasset, ita demùm rediret, in Senatu vtramque conditionem dissuasit: reiectisque à complexu coniuge ac liberis, Carthaginem regressus: vbi in arcam ligneam coniectus, clauisque introrsum actis, vigilijs ac dolore crudelem in modum punitur. De Reguli constantia, præter Liuij Epitomen XVIII. Cicero lib. I. & III. Offic. & de Finibus V., & in Pisoniana, *Carthaginenses*, inquit, *resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necauerunt*. Agellius lib. VI. cap. 4. & Horatius lib. III. oda 5. Silius Italicus lib. VI. belli Punici.

39 Caput AVGVSTI senilem ætatem repræsentans, & LIVIÆ vxoris eius, ex gemma anulari, oualis formæ, quæ vulgari idiomate *Prasma* dicitur, expressum est: hanc autem gemmam insignis ille quondam artifex Dioscorides sculpsisse creditur, qui, testibus Plinio & Suetonio, *Augusti* imaginem expressit, qua ipse primùm, tum insequuti quoque Principes signasse dicuntur. Ex multis sanè *Augusti Liuiæq;* imaginibus, quas in numis & gemmis videre licet, hæc præcipuam sibi laudem poscere videtur; fuitque olim Petri Bembi Cardinalis; cuius similem in Gallia se vidisse scribit Ludouicus Demontiosius, ab ali-

quo

quo fortaſsè expreſſam, qui ſuperiorem imitari voluit.

Caput BYZANTIS Herois, qui *Byzantium, Conſtantinopolim* poſteà dictam, condidit, ex numo æneo didrachmo deſumptum eſt: in quo *Byzantini* imaginem hanc conditoris ſui, honoris & memoriæ ergô, videntur impreſſiſſe. De eo Stephanus ſic meminit: *Βυζάντιον ἐκτίσθη ἀπὸ Βύζαντος τοῦ Κεροέσσης τῆς Ἰοῦς θυγατρὸς καὶ Ποσειδῶνος, ἢ ὅτι τοῦ στόλου τῆς Βύζης ἦν ἡγεμών.* &c. 40

E Caput C. CÆSARIS *Auguſti nepotis*, qui ex Agrippa & Iulia Auguſti F. natus, & ab Auguſto adoptatus, Auguſti filius dictus eſt, Cameus inſignis gemma nobis exhibet, ſed puerilem eius ætatem repręſentans. Apparet autem eam gemmam ab eodem artifice ſculptam eſſe, Epitynchano ſcilicet, quę Germanici Cęſaris adoleſcentis effigiem in alio Cameo expreſſiſſe, infrà demonſtramus. Quod ex vtriuſque Camei comparatione intelligi maximè poteſt, atque inprimis ex huius artis peritorum conſtanti teſtimonio. C. hic Cęſar natus eſt Coſs. C. Furnio & C. Syllano, anno V.C. DCCXXXVII. mortem autem obijt anno DCCLV., vt Hiſtorici referunt, in Lycia; vel morbo, vel Liuię nouercę dolo: ex quo conſtat eum vixiſſe annos XVIII. Hęc autem imago valde conuenit cum ea, quę habetur in numis ęreis Tiberij Auguſti, in quibus L. quoque Cęſaris fratris eius effigies ſimul repręſentatur. Exſtatque de eodem vetus hęc inſcriptio ex lapide Tiburtino, reperta multis abhinc annis, inter ſacram viam & Forum Romanum, vbi baſilicam Iuliam fuiſſe credunt omnes antiquitatis periti: quę quidem inſcriptio talis eſt.

C. CÆSARI. AVGVSTI. F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

F Imago L. CÆSARIS, qui & ipſe Auguſti nepos, ex eadem Iulia Auguſti filia & Agrippa genitus, ab Auguſto adoptatus, Auguſti filius deſcribitur, ex numo Græco æreo deſumpta eſt, circumſcriptis in eo litteris, ΛΕΥΚΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Fuit autem

tem

tem is numus à Cæſarienſibus cuſus, vt ex inſcriptione apparet, quæ habet in poſtica parte ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, impreſſo ibidem ſigno Capricorni, qua nota Auguſtus denarios ſignauit. L. Cæſar natus eſt, M. Appuleio, P. Silio Coss. A.V. DCCXXXIV. obijt verò Maſſiliæ, vt ſcribit Paterculus, ante diem propè quinquageſimum, quàm Caius frater eius. Ex quo intelligitur, vixiſſe eum annos fermè XXI. De eo etiam exſtat inſcriptio, eodem loco reperta, quæ talis eſt:

L. CÆSARI. AVGVSTI. F.
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Ad auguratum hunc deſignandum, in numiſmate ſuprà nominato, additus eſt lituus, Augurum notum inſigne.

41 Caput CALLISTHENIS Poëtæ Comici, in tabella marmorea ſculptum viſitur; in qua litteris euaneſcentibus ſcriptum legitur, ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ ΛΥΣΙΜ .... Qui quidem *Lyſimachus* videtur Calliſthenis pater fuiſſe, cùm caput eius ex aduerſo ipſius Calliſthenis ſculptum ſit. Athenæus & Suidas *Calliam*, non *Calliſthenem*, dicunt (ſed vitiosè, opinor, cùm antiquis inſcriptionibus plus fidendum ſit, quàm libris, quos ignaua librarij aut ſcioli manus deprauare potuit) & aliquot eiuſdem Comœdias citant. Filius reſtionis fuit *Calliſthenes* Athenis natus, & ea propter *σχοινίον*, hoc eſt *funiculus* appellatus: & cùm fuerit Poëta Comicus, in inuerſa tabellæ illius parte, larua ſiue perſona ſculpta perſpicitur, cuiuſmodi actores Comœdiarum ſeu hiſtriones vti ſolebant.

42 Imago CARNEADIS marmorea, in pallio nomen ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ inſcriptum habet. Sculpta eſt excellenti manu artificis, ſed quę non ita grandem natu referat, ſicut altera quæ apud Fuluium exſtat pariter marmorea, decrepitum iam, & ætatis nimirum ſeneſcentis Carneadem exhibens, hoc eſt annorum LXXXVI. quot vixit, ſecundùm Laërtium, vel CX. ſecundùm Ciceronem. Tertia & ipſa marmorea in Herma eius viſitur, cū hac inſcriptione, ΚΑΡΝΕΑΔΗΣ ΦΙΛΟΚΩΜΟΥ ΚΥΡΗΝΑΙΟΣ:

ΡΗΝΑΙΟΣ: vt adeò errore fieri exiſtimem,vt pro *Philocomo Epicomus* à nonnullis ſcriptorum pater eius nominetur. *Carneadem* refert Laërtius elegantiæ & ornatus perſtudioſum fuiſſe, comam aluiſſe, & crines componere diligenter ſolitum, non neglecta accuratiore vnguium purgandorum & præſecandorum cura. Et talem quidem pleræque eius imagines repræſentant; maximè verò omnium illa, quam eo tempore, cum ipſe vnà cum Diogene & Critolao legatum Romæ ageret, ſculptam fuiſſe,non ineptè quis ſuſpicetur. In ea legatione, M. Catoni ob memoriam ſuam inſignem & dicendi vim, ſuſpectum ſe reddidit. Idem cùm in eadem legatione Præneſtæ celeberrimam Fortunę ędem viſurus veniſſet,dixiſſe legitur,ſe nuſquam Fortunam fortunatiorem vidiſſe,quàm Præneſtæ. Cui quidem dicto omnes, qui reliquias & rudera templi illius, cum pauimento muſiuo opere à Sulla (vt ſcribit Plinius) perfecto, attentè conſiderarint,aſſenſuros certum eſt. Cicero lib. v. de Finibus facit quoque mentionem *Carneadis* imaginis: *Modò enim fuit Carneades*, inquit, *quem videre videor: eſt enim nota imago: à ſedeq́ ipſa, tanta ingenij magnitudine orbata, deſiderari illam vocem puto*, &c.

CIMONIS Athenienſis ſtatuam in Hermæ forma habemus; cui tamen caput deeſt, temporum iniuria truncatum. Quam verò exhibemus imaginem, ea deſumpta eſt ex æreo mediæ magnitudinis numo,qui in poſtica eius parte, habet ſtatuam equeſtrem ipſius fortè *Cimonis*; nam nomen adiectum eſt, ΚΙΜΩΝ. Fuit *Cimon* Miltiadis filius, pietate in patrem inſignis, velut Hiſtorici meminerunt. 43 G

Imago Q. CLAVDIÆ Veſtalis, more Veſtalium velata, in gemma anulari amethyſto artificioſè inſculpta conſpicitur. Veriſimile eſt, eam à quopiam gentis *Claudiæ* geſtitatam in anulo fuiſſe,in memoriam huius Virginis; quæ,quòd ſola digna fuiſſet inuenta ad Matrem Deûm Romam adducendam,ſummam nominis celebritatem eo populi Romani iudicio conſecuta eſt, ſicut pluribus in imagine *Scipionis Naſicæ* paullò pòſt exponemus. 44

45 Caput M. Clavdii Marcelli viſitur in numo argenteo, quem in memoriam eius Lentulus Marcellinus, à Claudia in Corneliam familiam adoptatus, cudi curauit. Inuerſa numi pars hanc habet inſcriptionem, Marcellvs cos. qvinq. Exprimit autem *Marcellum* in habitu triumphali, in quo ille Ioui Feretrio ſpolia opima victor retulit. Pone caput tria crura ſculpta ſunt, quæ Siciliæ (quæ ob tria promontoria Trinacria dicitur) inſignia ſunt. Innuitur autem eo ſigno triumphus Marcelli de Syracuſanis, ex quo tota Inſula Sicilia ſemper fuit Marcellis addictiſſima, in quorum honorem etiam Feſta *Marcelli* celebrabant. Hic, auctore Plutarcho, primus familiæ ſuæ dictus fuit *Marcellus*, id quod binis inſcriptionibus apud Fuluium Vrſinum confirmatur, in quibus huius Marcelli pater ſine vllo cognomine ſic exprimitur.

MARTEI
M. CLAVDIVS M. F.
CONSOL VOVIT.

M. CLAVDIVS. M. F.
CONSOL.
HINNAD. CEΓIT.

Vtraque harum inſcriptionum in lapide Peperino, vt vocant Itali, ſculpta viſitur. quarum prior, in dedicanda Marti ſtatua, vt videtur, facta, nuper extra portam Capenam, vbi Martis templum erat, reperta fuit: poſterior, in qua eſt elogium huius M. Claudij, non ita pridem prope Suburram inuenta eſt. Ex quibus ſatis liquet, errorem eſſe, quòd in Faſtis Conſularibus M. Claudio Conſuli anno cdlxvi. & patri ipſius Conſuli a. v. c. cdxxii. Marcelli cognomen tribuitur. Porrò inſcriptiones iſtæ multò ſunt Duiliana vetuſtiores: cùm forma litterarum in Duiliana ſit ab æuo Auguſti, ſub quo baſis Columnæ Roſtratæ fuit renouata ſic, vt lingua tantùm priſca in ea retenta ſit: in iſta autem Claudiana, non lingua ſolùm, ſed & orthographia antiqua conſeruata fuerit; vt cùm ex forma litterarum eiuſdem æui, quas Romani paullò antè è Sicilia & Magna Gręcia mutuati fuerant, tum ex Gręcis populorum iſtorum numiſmatis apparet, maximè LEONTINON, & NEOΓOLITON. Similes ſunt litteræ in tabella ænea, quæ penes eſt Fuluium Vrſinũ.

L. TERENTIO. L. F.
C. AΓRVFENIO. C. F.

L. TVR-

L. TVRPILIO. L. F.
M. ALBANI. L. F.
T. MVNATIO. T. F.
QVAISTORES
AIRE MOLTATICOD
DEDERONT

In qua inſcriptione illud notatu dignum eſt, verbum MOLTATICOD, merè Romanum eſſe, & antiquum; quemadmodum & vox HINNAD in illa Claudiana, quod nomen eſt ciuitatis Siciliæ, vt ſcribit Ptolemæus. Romani enim ſæculo iſto vocalibus litteram D. ſubiungebant, vt ex Plautino illo MED ERGA, & ex inſcriptione Duiliana in ALTOD MARID, alijſque monumentis, apparet.

M. Claudium Marcellum Auguſti Nepotem, vide infrà in litterà M.

Caput CLEOPATRÆ Ægypti Reginæ, quæ coniux fuit M. Antonij Triumuiri, repræſentatum eſt ex gemma anulari, oualis formæ, & grandiuſcula (Itali *Praſma* vocant) pulcherrimi coloris, & artificij conſummatiſſimi. Capiti diadema Regium impoſitum, arcus item & pharetra ponè collum addita, eò quòd in Dianæ forma expreſſa fuerit. Eò enim inſanię deuenit Antonius (vt Plutarchus & Dion ſcribunt) vt ſe quidem *Oſiridis*, Cleopatram autem *Iſidis* nomine appellari vellet: quos Deos antiquitùs eoſdem cum Sole & Luna, ſiue Diana, fuiſſe conſtat. Et hoc eſt, quòd in plurimis Antonij numis argenteis, ipſe in forma Solis cum corona radiata, alijſque ſignis Solem ſignificantibus, expreſſus videtur; Cleopatræ verò imagini Luna, vt in quadam anulari gemma, addatur. Vide infrà *Iubam* iuniorem. Hæc autem imago Cleopatræ multò eſt artificio maiore elaborata, quàm illa, quæ in numis æneis & argenteis, vnà cum imagine Antonij, reperitur. Sed opere & artificio omnes antecellit ea, quam in fragmento etiam gemmæ Corniolæ cælatam Fuluius Vrſinus habet, in qua imago *Cleopatræ* cum ſerpente in pectore conſpicitur, ob hiſtoriam mortis eius; quæ apud Plutarchum, alioſque auctores, legi poteſt. 46

47 Caput COELII CALDI Consulis Romani anno v. c. DCLIX. ex binis eius numis repræsentatum est, quos in memoriam aui sui *Cœlius Caldus* Triumuir Monetalis cudi fecit, qui Ciceroni in Proconsulatu Ciliciæ Quæstor fuit. In altero numo, præter titulum Consulatus, quem Cœlius, referente Cicerone, velut homo nouus eloquentia sua adeptus est, tabella insuper impressa est, quam ille iudicio perduellionis exhibuit, duabus litteris L. D., exemplo iudiciariæ tabellæ Cassij, in qua litterę A. C. notę erant Absolutionis, & Condemnationis; sicut istæ Cœlianæ, Liberationis, & Damnationis.

48 Imago L. CORN. LENTVLI cognomento LVPI, non ita olim Tiburi reperta fuit, cum tabella ænea, in qua eiusdem *Lentuli* nomen hoc modo inscriptum exstat: L. CORNELIVS. CN. F. PR. SÉN. CONS. A. D. III. NONAS. MAIAS. SVB. ÆDE. KASTORIS. &c. *Lentulus* enim cùm Prætor esset anno v. c. DXCIV. Senatus nomine Tiburibus verba illa respondit, quæ in ea tabella insculpta sunt, quæque in libro de Legibus & Senatusconsultis Romanorum referuntur. Ob isthæc igitur verba, quòd per ea populus Tiburtinus à certis calumnijs, quibus delati erant ad Senatum, liberaretur; non Senatusconsulti tantùm memoriam, quo absoluti, sed & L. Cornelij Prætoris, qui Senatus nomine ad ipsos verba fecerat, imaginem ád posteros transmittere voluerunt. Anulus autem ille, ex metallo perfectus, qui ponè imaginem eius conspicitur, suspicari nos facit, eam pariter cum dicta tabella, in publico aliquo ciuitatis Tiburtinæ loco, parieti aut muro affixam, aut appensam fuisse.

49 Effigies P. CORNELII SCIPIONIS AFRICANI, in petra nigri coloris, & durissima quæ silicem refert, effícta est; iam olim Literni inuenta, oppido Campaniæ, vbi ipse Scipio villam habuisse, ibidemq; post exsilium obijsse legitur. Senilem exhibet ætatem, & rasos capillos atque barbam: vt prorsus cum Pliniano hoc loco conueniat, lib. 7. cap. LIX. *Primus omnium radi quotidie instituit Africanus.* &c. Liuius libro XXXVIII. Literni statuam Africani se vidisse scribit: *Nam & Literni*

Literni, inquit, *monumentum, monumentoq́ statua superimposita fuit, quam tempestate disiectam nuper vidimus ipsi*. &c. paullò enim priùs de eodem Africano dixerat: *Vitam Literni egit sine desiderio vrbis. morientem rure eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt, monumentumq́ ibi ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret*. &c. Non tamen confirmare ausim, quòd hæc ipsa effigies in statua illa fuerit; sicut nec in illa altera, quę Romę erat extra portam Capenam, cuius idem Liuius meminit. Alia eiusdem Africani effigies apud Fuluium in gemma exstat, quæ ętatem prę se fert iuuenili nonnihil grandiorem, & velut maturam: facta, vt apparet, cùm ipse in Africa bellum gereret. De ea, ex ratione similitudinis quam habet cum lapide superiori (eam Itali *Hiccolum* vocant) conijcere est, quòd artificiosa manu perfecta fuerit. In pectore *Serapidis* habet imaginem, qui idem est cum Ioue, cuius filius fuisse credebatur Africanus, vt auctor est Liuius lib. 26. Plinius lib. 16. cap. 44. Val. Maximus cap. 3. lib. 1. & Quinctilianus cap. 4. lib. 2. *Publius Scipio* (scribit Auctor de Viris illustribus) *ex virtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditus fuit. nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit*. &c. ob quam eandem historiam, in pectore imaginis Alexandri Magni caput Iouis Ammonis positum visitur, cùm & ipse Iouis filius esse crederetur: id quod à compluribus Historicis, Gręcis maximè, scriptum est; teste Agellio cap. 1. lib. 7. *Quod de Olympiade*, inquit, *Philippi Regis vxore, Alexandri matre, in historia Græca scriptum est; idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est: nam & C. Oppius, & Iulius Hyginus, alijq́ qui de vita & rebus Africani scripserunt, matrem eius diu sterilem existimatam tradunt: P. quoque Scipionem, cum quo nupta erat, liberos desperauisse: posteà in cubiculo atque in lecto mulieris, cùm absente marito cubans sola obdormisset, visum repentè iuxta eam cubare ingentem anguem, eumq́, ijs qui viderant territis & clamantibus, elapsum inueniri non quisse: id ipsum P. Scipionem ad Aruspices retulisse; eos sacrificio facto respondisse, fore vt liberi gignerentur: neque multis diebus posteà, quàm ille anguis in lecto visus est, mulierem concepisse, concepti fetus*

ſigna atque ſenſum pati: exinde menſe decimo peperiſſe, natumq́; eſſe hunc P. Scipionem Africanum, qui Annibalem, & Carthaginenſes in Africa bello Punico ſecundo vicit. &c. Aliæ inſuper binæ eiuſdem Africani imagines in Cameo (vt eam gemmam Itali vocant) apud Vrſinum ſpectantur, faberrimè ſculptæ; & perquam ſimiles ei, quam Literno allatam dixeramus: neque inconueniens fuerit, ſi eas gemmas anulis incluſas fuiſſe exiſtimemus, quas ex eadem familia *Cornelia* oriundi geſtarint; cùm Valerius Maximus ſcribat, filio Africani, tanquam degeneri, à Cenſoribus anulum fuiſſe è manibus detractum, in quo caput *Africani* inſculptum erat. Notum eſt enim veteres maiorum imagines in anulis geſtaſſe, vel ex hoc Ciceronis loco lib. v. de Finib. *Nec tamen Epicuri licet obliuiſci, ſi cupiam; cuius imaginem non modò in tabulis noſtris familiares, ſed etiam in poculis, & in anellis habent.* &c.

H Numus, in quo P. CORNELII SCIPIONIS NASICÆ eſt effigies, mediæ eſt magnitudinis ex metallo, artificij, vt apparet, non vſque adeò exquiſiti, ſed vetuſtati temporum reſpondentis, quibus cuſus eſt; anno nimirùm V. C. DL. id quod ex figura litterarum ſæculi illius colligitur, quæ perquam ſunt ſimiles Græcis Siciliæ & Magnæ Græciæ characteribus: inde enim Romani primas litteras Latinas mutuati ſunt, quæ hodie in inſcriptionibus vetuſtioribus, maximè in ea, quæ pertinet ad Marcellum Conſulem A. V. C. DLXVI. de qua ſuo loco egimus, reperiuntur. Porrò in anticā numi huius parte, imagini *Naſicæ* nomen quoque adſcriptum eſt NASSICA: quod certiſſimum eſt eius ſæculi antiquitatis ſignum, cùm priſcis Romanis geminationem litteræ S. familiarem fuiſſe videamus, velut in CAVSSA, IMPERIOSSVS, alijſque, quæ in marmoribus vetuſtis, maximè Capitolinis, reperiuntur; in quibus orthographia vetus Romana conſeruata eſt. Ipſa imago *Naſicæ* ætatem quaſi viginti octo annorum oſtendit, cùm ſcribat Liuius, Naſicam, cùm Matrem Idæam hoſpitio reciperet (in cuius rei memoriam numus hic cuſus eſt) nondum fuiſſe Quæſtorium, qui Magiſtratus anno demùm ætatis XXX. dari ſolebat ante Ædilitatem

litatem & Præturam, quæ Consulatum præcedebant: vnde Liuius eum vocat, *adolescentem nondum Quæstorium*; & similiter Valerius Maximus, Liuium imitatus. Filum ipsum faciei pulcrum est & amabile, quodque quasi confirmet Senatus Romani de illo iudiciũ, quo vnus *Nasica* (velut Liuius ait) *in tota ciuitate fuit vir optimus iudicatus.* &c. Plinius cap. 34. lib. VII. *Vir optimus*, inquit, *semel à condito æuo iudicatus est Scipio Nasica à iurato Senatu.* &c. *Cuiusmodi iudicium* (vt rectè idem Liuius scribit) *nemo non omnibus honoribus, imperijs, & triumphis anteponeret.* &c. Quamobrem verosimile est, quòd quispiam Corneliæ familiæ, cuius & Nasica fuit, cùm Monetalis Triumuir esset, in memoriam honoris familiæ suæ tributi numum hunc percusserit. Sicut Corniolam, in qua eadem est imago, credibile est à quopiam *Corneliæ* gentis in anulo gestitatam fuisse: quomodo Cicero scribit *Lentulum*, coniurationis Catilinariæ socium, imagine aui sui *Cornelij*, quam in anulo habebat, signare consueuisse. Præterea, quod propiùs ad nostrum institutum, & *Nasicæ* numum facit, in amethysto gemma imago *Q. Claudiæ* Virginis Vestalis (quæ & ipsa cum matronis Romanis Matrem Idæam excepit) artificiosissimè sculpta visitur; eamque gemmam in anulo *Claudij* alicuius fuisse non de nihilo suspicari licet: à quo etiam, Monetalis Triumuir cùm esset, numus argenteus cusus est cum *Claudiæ* imagine, addita inscriptione VESTALIS: de qua Tacitus scribit, & Valerius Maximus, quòd statua ipsi in vestibulo templi Matris Idææ dicata, cùm templum bis conflagrasset, incolumis tamen permanserit. Taciti verba lib. 4. hæc sunt: *Adduntur sententiæ, vt mons Cælius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circumflagrantibus, sola Tiberij effigies sita in domo Iunij Senatoris, inuiolata mansisset. Euenisse id olim Claudiæ Quinctæ, eiusque statuam vi ignium bis elapsam, maiores apud ædem Matris Deûm consecrauisse.* &c. Val. autem Maximi hæc ex lib. I. cap. VIII. *Quòd Quinctæ Claudiæ statua in vestibulo templi Matris Deûm posita, bis ea æde incendio consumpta, in sua basi flammis intacta stetit.* &c. De his ipsis, *Nasica* nempe & *Claudia*, deque hoc ipsorum facto, sic scribit Cicero in oratione de Haruspicum responsis:

sponsis: *Hac igitur vate suadente quondam, defessa Italia Punico bello, atque ab Annibale vexata, sacra ista maiores nostri ascita ex Phrygia Romæ collocauerunt: quæ accepit vir is, qui est optimus à populo Romano iudicatus, P. Scipio; femina autem, quæ matronarum castissima putabatur, Quincta Claudia*, &c. itemque Liuius lib. XXIX. rem integram paullò copiosiùs sic enarrat: *Ciuitatem eo tempore recens religio inuaserat, inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cælo lapidatum inspectis. Quandocumque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia, vinciq; posse, si Matris Idææ Pessinunte numen Romam aduectum foret.* &c. & paullò pòst: *Legati Asiam petentes, protinus Delphos cùm descendissent, oraculum adierunt consulentes. responsum esse ferunt per Attalum Pergami Regem, compotes eius fore quod peterent. Cùm Romam Deam deuexissent, tum curarent, vt eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet.* &c. Idem Liuius paullò inferiùs subiungit: *Eò accessit consultatio de Matre Idæa accipienda: quam, præterquam quòd M. Valerius vnus ex legatis prægressus, actutum in Italia fore nuntiauerat, recens nuntius aderat, Tarracinæ iam esse. Haud paruæ rei iudicium Senatum tenebat, qui vir optimus in ciuitate esset. Veram certè victoriam eius rei sibi quisque mallet, quàm vlla imperia, honorésve suffragio seu patrum, seu plebis delatos. Patres Conscripti P. Scipionem Cn. filium, eius qui in Hispania ceciderat, adolescentem nondum Quæstorium, iudicauerunt in tota ciuitate virum optimum esse. P. Scipio cum omnibus matronis Ostiam ire iussus obuiam Deæ, isq; eam de naui accipere, & in terram elatam tradere perferendam matronis. Postquam nauis ad ostium Tiberini amnis accessit, extulitq; in terram, matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudiæ Quinctæ insigne est nomen, accepêre; cui dubia (vt traditur) anteà fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Eæ per manus succedentes, deinde aliæ alijs, omni effusa ciuitate obuiam, thurribulis ante ianuas positis, quà præferebatur, atque incenso thure, precantibus vt volens propitiaq; vrbem iniret; in ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulêre Deam pridie Idus Aprilis, isq; dies festus fuit. populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumq;*

niumq́, & ludi fuêre Megalesia appellati. &c. Sed contraria his idem Liuius videtur adserere lib. 37. dum Valerij Antiatis auctoritatem secutus, ludos illos omnium primum in templi dedicatione celebratos scribit. Postquam enim de *Nasica* locutus est, subijcit: *Per idem ferè tempus ædes Matris Magnæ Idææ dedicata est: quam Deam is P. Cornelius aduectam ex Asia, P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio Coss., in Palatium à mari detulerat. Locauerant ædem faciendam M. Liuius, C Claudius Censores, M. Cornelio, P. Sempronio Coss. tertiodecimo anno, posteaquam locata erat, dedicauit eam M. Iunius Brutus; ludiq́ ob dedicationem eius facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias est auctor, Megalesia appellatos.* Valerius quidem Maximus lib. 8. cap. 15. priorem Liuij narrationem sequitur his verbis: *Rarum specimen honoris à Scipione quoque Nasica oboritur, eius namque manibus & Penatibus nondum Quæstorij, Senatus Pythij Apollinis monitu Pessinunte accersitam Deam excipi voluit; quia eodem oraculo præceptum erat, vt hæc ministeria Matri Deûm à sanctissimo viro præstarentur. Explica totos fastos, constitue omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu speciosius reperies.* &c. Porrò ad ludos illos, quos *Megalenses* Liuius appellatos scribit, postica numi huius pars haud dubiè referri debet; in qua caput bouis est, ad denotandum sacrificium ante ipsos ludos ab Ædilibus fieri solitum: velut in compluribus antiquitatis monumentis videmus, in ijs maximè, quæ sunt *Domitiani*, in quibus ipse boue faciens cernitur, propter ludos *Sæculares*, quos decimumquartùm celebrauit: qua de causa in numo isto duorum Ædilium, ad quos ludorum cura tunc pertinebat, nomina sunt posita hoc modo: C. VAL. C. SEX. ÆD. PLE. hoc est: C. VALERIVS. C. SEXTIVS ÆDILES. PLEBEI. Vterque ex familia plebeia erat oriundus, cùm SESTIA familia per s. scripta, esset patritia: sicut & Valeriæ gentis familiæ partim patritię fuerunt, partim plebeiæ. Et ex inscriptione ista aperte colligitur, quòd cura ludorum *Megalensium* principio penes Ædiles plebeios fuerit (quod ipsum & Dion scribit lib. 43.) & primos qui ludos illos fecerunt, fuisse C. Valerium & C. Sextium, anno Vrbis DXLIX. Coss. Cornelio

lio Cethego,& Sempronio Tuditano;eandemque curam poſtmodum cum Ædilibus Curulibus, Atilio Sarano & Scribonio Libone,communicatam fuiſſe decennio pòſt,anno Vrbis DLIX. Scipione Africano iterùm, & Sempronio Longo Coss. velut ex his Liuij verbis lib. 34. colligitur. *Megalenſia ludos ſcenicos, C. Atilius Saranus, L. Scribonius Libo Aediles Curules, primi fecerunt.* &c. Hoc enim Liuius vult, primos ex Ædilibus Curulibus, qui hos ludos celebrarunt, fuiſſe *Atilium Saranum, & Scribonium Libonem*: quod & Aſconij Pædiani commentarijs in Cornelianam Ciceronis orationem confirmatur; quamuis Aſconius ſcribat ludos à dictis Ædilibus factos, non *Megalenſes*, ſed *Romanos* fuiſſe appellatos, quod aliter ſubſiſtere non poſſet, cùm alteri ab alteris nimium inuicem diſtarent: *Megalenſes* enim a. d. XII. Aprilis, Matri Magnæ Idææ; *Romani* autem a. d. XXXI. Auguſti, Conſo, & Magnis dijs, Ioui ſcilicet, Iunoni, & Mineruæ, fiebant. Sed fieri poteſt, vt Cicero in loco, quem citat Aſconius, alios annales, & fortaſſe Valerium ipſum Antiatem ſecutus fuerit, non nihil ab ijs diſcordantes, quos Liuius auctores habuit; qui non paucis in locis ab alijs diſſentit, ob auctorum, quos ſequebatur, diuerſitatem. Cum Liuio conuenit Val. Maximus lib. 2. cap. 4. ſcribens: *Per quingentos autem & quinquaginta octo annos, Senatus populo mixtus ſpectaculo ludorum interfuit; ſed hunc morem, C. Atilius Saranus & L. Scribonius Libo Aediles, ludos Matri Deûm facientes, ſuperioris Africani ſententiam ſecuti, diſcretis Senatus & populi locis, ſoluerunt: eaq́ res auertit vulgi animum, & fauorem Scipionis magnopere quaſſauit.* &c. vnde veriſſimum eſſe liquet, populum Romanum, per quingentos & quinquaginta octo annos, Senatui mixtum ludos ſpectare ſolitum; donec decretum Scipionis Africani Conſulis ſecuti Ædiles Curules, Atilius & Scribonius, anno V. C. DLIX. populum & Senatum ſedibus diſtinxerunt in ludis Megalenſibus, vel certè Romanis, ſi in ijs, ſecundùm Ciceronem in Corneliana, à dictis Ædilibus huiuſmodi ſeparatio facta fuit. Dicemus igitur *Scipionem Naſicam* non ſolùm *ludos Megalenſes* inſtituiſſe (velut ex poſtica numi huius parte, & ex Liuij verbis ſuperiùs citatis, diſertim apparet) ſed templum quoque

quoque eiuſdem *Matris Idææ* dedicaſſe: quod præter alios ſcriptores, Auctor quoque libri de Viris illuſtribus aperte teſtatur, tametſi Ouidius contradicere videatur in lib. 4. Faſt. illis verſibus:

Naſica excepit, templi non exſtitit auctor;
Auguſtus nunc eſt, antè Metellus erat.

Quorum verſuum priorem Pomponius Lætus ſic corrigebat: *Templi tunc exſtitit auctor*: cauſam dicens, quòd templum illud primum à Naſica dedicatum, cùm bis incendio conflagraſſet; ſemel à Q. Cæcilio Metello, iterùm ab Auguſto, inſtauratum reſtitutumque fuerit. De ijſdem ludis, vt multa reliquorum ſcriptorum loca hìc prætermittam, ſic ſcribit Cicero in oratione de Haruſpicum reſponſis, vt nos Aſconij auctoritatem ſecuti legimus: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio maiores noſtri ante templum Matris Magnæ fieri celebrariq; voluerunt? Qui ſunt more, inſtitutiſq; maximè caſti, ſolennes, & religioſi.* &c. *Quorum religio tanta eſt, vt ex vltimis terris accerſita, in hac vrbe conſederit: qui vni ludi ne verbo quidem appellantur Latino; vt vocabulo ipſo, & appetita religio externa, & Matris Magnæ nomine ſuſcepta declaretur.* &c. Ex quibus verbis apertè videas, quàm non vera ſit *Megalenſium* etymologia, à Varrone alijſque Grammaticis tradita.

Imago L. CORNELII SYLLÆ in numo argenteo exſtat, 50
quem in patris memoriam filius eius *Fauſtus* cudi fecit. Eadem effigies in gemma anulari inſculpta eſt, quam ſine dubio aliquis Corneliæ familiæ geſtitauit: cuius cùm fragmentum tantùm quoddam ſuperſit, hìc relata non eſt. Reperitur etiam hæc Sullæ effigies in numo quodam argenteo, multo pòſt tempore, memoriæ eius ergô, non vt monetæ loco eſſet, cuſo: in cuius antica parte, caput *Sullæ* tectum pelle leonis, inſculptum eſt; ob eandem, vt opinor, cauſam, qua imago *Fauſti* eius filij in forma Herculis diademate redimiti inuenitur. In poſtica verò huius, de qua ſermo eſt, parte, tria illa trophæa expreſſa ſunt (quibus Sulla ſignare ſolitus fuit) cum titulo, LIBERATOR VRBIS P. P. cuius inſcriptionis Plutarchus quoque in Sullæ vita facit mentionem.

tionem. Eadem hæc imago (quantum per figuræ exiguitatem intelligi poteſt) in ſtatua equeſtri conſpicitur, quæ in poſtica cuiuſdam numi aurei Conſularis parte cum hiſce litteris inſculpta eſt: SVLLÆ. FELI. DICT. quod quidem ad locum Appiani Alexandrini facit, cuius verba Græca lib. I. bell. Ciu. Latinè ſic ſonant: *Omnia Sullæ acta, tàm Conſulis quàm Proconſule, rata* S. P. Q. R. *habuit, & ſtatuam auratam equeſtrem pro Roſtris ei poſuit, hoc titulo*: CORNELIO. SVLLÆ. IMPERATORI. FELICI. *Sic enim ab adulatoribus vocabatur, ob perpetuos rerum contra inimicos geſtarum ſucceſſus; quam adulationem Sulla in cognomen vertit. Inueni etiam Commentarios, qui tradant, eum hoc* S. C. VENVSTVM *appellatum, quod eò faciliùs credo, quando &* FAVSTI *cognomen accepit, non alienum à ſignificatu feſtiui, gratioſiq́ue*, &c.

I Cratippi Philoſophi *Mytilenæi* Hermes tantùm exſtat, cum quadratis hiſce litteris, ΚΡΑΤΙΠΠΟΣ ΑΣΚΙΩΝ-ΔΟΥ ΜΥΤΙΑΗΝΑΙΟΣ. Caput tamen huic Hermę deeſt, iniuriâ temporum truncatum. Cicero Cratippi mentionem facit ſæpè, nimirum quòd filij ſui præceptor eſſet. Et Plutarchus in Pompeij vita, diſſertationem de Prouidentia coram ipſo Pompeio poſt cladem Pharſalicâ ab eodem habitam recenſet.

51 Effigies Cynegiri Athenienſis in numo argenteo tetradrachmo exſtat, quem cudi fecerunt Athenienſes in eius memoriam, cum hac inſcriptione, ΚΥΝΕΓΕΙΡΟΣ ΑΑΚΙ-ΜΟΣ. In poſtica numi parte nauem cum duabus manibus videre eſt, ob hiſtoriam, quam Iuſtinus lib. 2. ſic recenſet: *Cynegiri quoque militis Athenienſis gloria, magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt; qui poſt prælij innumeras cædes, cùm fugientes hoſtes ad naues egiſſet, onuſtam nauem dextra manu tenuit, nec priùs dimiſit, quàm manum amitteret: tum quoque amputata dextra, nauem ſiniſtra comprehendit; quam & ipſam cùm amiſiſſet, ad poſtremum morſu nauem detinuit: tantam in eo virtutem fuiſſe, vt non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amiſſis victus, truncus ad poſtremum, & veluti rabida fera dentibus*

tibus dimicauerit. Ducenta millia Persæ eo prælio sine naufragio amisêre. &c.

Imago DEMETRII filij Antigoni Macedoniæ Regis, ex numo eius argenteo tetradrachmo desumpta est: in cuius inuersa parte, Neptuni est figura cum pede innixo nauis rostro, cũ hac inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Quę figura cùm in altero quoq; numo eiusdem tetradrachmo impressa sit, qui in parte postica victoriam supra rostrum nauis tenet; credibile est figuris huiusmodi victoriam significare naualem, quam Demetrius de Ptolemæo Ægypti Rege tulit, sibique Cyprum subiecit, vt Plutarchus narrat in vita huius ipsius Demetrij, qui Poliorcetes, hoc est, *vrbium expugnator*, siue, vt Plautus vocat, *vrbi-capus* cognominatus fuit. 52

Imago DEMETRII cognomento NICATORIS, non *Nicanoris*, vt libri vulgati habent, Macedoniæ Regis, ex numo eius tetradrachmo repræsentata est; in quo non solùm NICATOR, sed ΘΕΟΣ quoque cognominatur his verbis, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Numus ille insignis est artificij, & exstat ei similis aureus, cuius octodrachmarum pondus est. 53

Effigies DEMETRII Syriæ Regis cognomento SOTERIS, in numo visitur argenteo; qui inuersus idem cognomen exprimit, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. Hic à patre Seleuco pro Antiocho Epiphane Romam fuit missus obses: sed mortuo Antiocho denegata à Romanis domum redeundi potestate, profugit simulata venatione, & in regnum suum receptus est, quod posteà decem annis obtinuit. De eo scribit Athenæus lib. 10. cap. 12. quòd vino & luxui deditus fuerit: quæ fortassis causa est, cur in postica numi huius parte Cornucopiæ impressum fuerit. 54

Caput DEMOSTHENIS ex figura marmorea reprę sentatum est, quæ abhinc annis aliquot Tarracone in disco marmoreo inuenta fuit: cuius adumbrationem seu delineationem Antonius Augustinus Fuluio Vrsino olim miserat. qui non satis sibi 55

 constare

conſtare ait, cuius ſit ea effigies, quamuis inclinet, vt Demoſthenis Athenienſium in bello Peloponneſiaco Imperatoris imaginem referat potiùs, quàm alterius Demoſthenis oratorum principis, quamuis & ipſe Athenienſis fuiſſe legatur.

56 Imago DIOGENIS Philoſophi Cynici ex marmore ſculpta eſt; & quantum ex formę paruitate colligere licet, ornandæ Bibliothecæ aut Pinacothecæ alicui aſſeruari ſolita fuit. Pallio duplici ſuperinduta eſt, ſecundùm quod Horatius de eodem Diogene ſcribit: *Contrà, quem duplici panno patientia velat*, &c. Nam tametſi pallij duplicis inuentionem *Antiſtheni* præceptori Diogenis vulgò tribuunt, non tamen deſunt eruditi homines, qui Diogenem primum eius auctorem faciant. Exſtat & figura in poſtica parte numiſmatis cuiuſdam æneì, & grandiuſculi (*Contorniatum* vocant Itali) in qua ſedet Diogenes baculum velut clauam manu tenens, hac ſcilicet in re Herculem imitatus, velut Theon Sophiſta in libro Exemplorum de eodem ſcriptum reliquit, his verbis: *Imitatorem ſe eſſe voluit Herculis cum ſcipione obambulans, & quærens quos reddere meliores poſſet.* &c. In capite verò pileolum geſtat rotundum, conuenienter illi imagini marmoreæ. Quę etiam res mihi perſuadet, vt effigiem aliam, quę apud Fuluium in gemma conſpicitur, potiùs *Diogenis* quàm *Pythagoræ* eſſe credam, ob eundem pileolum: vt ita clypeus, cui inſidentem eum gemma exhibet, quique παλιγγενεσίαν Pythagoræ ſignificare poterat, potiùs ſit ſcyphus ille, ſiue cupa, qua Diogenes pro poculo vſus fuiſſe legitur; quàm ſcutum, aut clypeus militaris, quem dicitur Pythagoras agnouiſſe, tanquam ſibi in Troiano bello, cùm Euphorbus eſſet, geſtatum: vnde & Horatius dixit; *Clypeo Troiana refixo Tempora teſtatus*, &c. itemque, *Pythagoræ arcana renati*, &c.

57 DIOMEDIS Herois caput, vnà cum nomine, in numo æneo, paullò quàm communiter ſunt minuſculo, exſtat. In poſtica eius numi parte, Victoriæ eſt ſimulacrum, cum inſcriptione, ΕΠΙΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ. Sunt qui putent ab Ætoliſcuſum, quorum princeps fuit *Tydeus* Diomedis pater. Penes Fuluium Vrſinum numiſma argenteum didrachmum Ætolorum exſtat;

exſtat; quod inuerſa ſui parte, Mercurij, tutelaris Ætoliæ Dei, ſimulacrum cum Tydei nomine exhibet. Similiter fieri potuit, vt ab ijſdem Ætolis Diomedis effigies, memoriæ ergô, in numo illo cuderetur, quo tempore *C. Papirius Carbo* prouinciam illam Proconſule, aut Prætor obtinuit; vt in libro de familijs Romanorum, in gente *Papiria*, copioſiùs dictum eſt.

DOCIMI Herois imago, ex numo ęneo mediocris magnitu- 58
dinis deſumpta, à populo Docimenſi videtur facta in memoriam conditoris ciuitatis ſuæ Docimij in Phrygia; cuius meminit Stephanus, dum ſcribit, ciuem ex hac ciuitate vſitatè & *κατὰ συνήθειαν* dici Δοκιμηνὸν, cùm ex regula & *κατὰ τέχνην* Δοκιμεὺς dici deberet, quomodo & in numo ipſo exprimitur.

Imago CN. DOMITII AHENOBARBI, proaui, teſte Sueto- 59
nio, *Neronis* Imperatoris, ex numo eius argenteo, qui Romano denario æquiualet, deſumpta eſt. Factam fuiſſe crediderim, quo tempore ipſe claſſi præfuit in mari Ionio, vt Dion refert lib. 48. Fuit vnus ex percuſſoribus Cæſaris, & poſt bellum Philippenſe, M. Antonio ſe coniunxit, teſte eodem Dione; cuius verba legi poſſunt, loco citato, & in libro de Familijs, in gente *Domitia*.

Imago EVRIPIDIS Poëtæ Tragici, ex marmore ſculpta vi- 60
ſitur, in pectore nomen, vt nunc ſcribunt, habens ΕΥΡΙΠΙΔΗΣ; non verò ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ, quod ratio poſcebat, & in Herma eius apud Fuluium Vrſinum apparet: ibi enim legitur ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ ΜΝΕΣΑΡΧΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ: itemque in ſigno quodam marmoreo, in cuius baſi exſtat, ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ. Legimus, librum ipſius Euripidis manuſcriptum, qui 75. eius tragœdias continebat, Ptolemæo Ægypti Regi ab Athenienſibus fuiſſe dono miſſum, exornandæ (vt & Galenus ſcribit) bibliothecę eius Alexandrinę cauſa. Annos natus LXXV. à canibus Archelai Macedoniæ Regis, cum quo viuebat, laniatus interijt. Et quòd non liceret Athenienſibus oſſa eius Pellæ ſepulta Athenas transferre, cenotaphium ipſi poſuerunt, eiuſque ſtatuam in Theatro dedicarunt, vt Pauſanias ſcribit, quamuis

uis diſſentiente Strabone: cuius fortaſſe ſtatuæ caput eſt, quod penes eumdem Vrſinum reperitur, (quamuis Conſtantinopoli altera eiuſdem ſtatua fuerit) inque eius baſi inſcriptum ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ, ſecunda, vt dixi, ſyllaba producta; vt ex epigrammate Ionis Poëtæ apparet, ac Sidonio Apollinari.

61 Caput FAVSTI *Sullæ* filij, ex numo eius argenteo vſitati ponderis deſumptum eſt. Anterior numi pars nomen habet FAVSTVS; poſtica verò FELIX. Dictum eſt autem ſuperiùs, patrem eius Sullam duobus cognominibus vſum fuiſſe: & Plutarchus ſcribit, eum, quòd non minùs felix, quàm fortis eſſet, in litteris ſubſcribere ſolitum fuiſſe EPAPHRODITVS; & trophæis in Græcia erectis inſcribi iuſſiſſe, L. CORNELIVS. SVLLA. EPAPHRODITVS. Hinc voluit, vt liberi ſui ex Metella vxore geniti, filius quidem *Fauſtus*, filia autem *Fauſta*, appellarentur. *Fauſti* effigies in forma Herculis adoleſcentis, ad imaginem patris ſui reſpicit, quæ in capite leonis pellem gerit. Diadema denique in capite eiuſdem, ad illud alludit, quod Plutarchus ſcribit; Caium ſcilicet Mithradatis collactaneum, *Cidarim* inſignis & artificij & pretij, Fauſto donaſſe. Quæ nihil fuit aliud, quàm *diadema*: vt ex Plutarchi verbis colligitur, qui in Pompeio appellat Cidarim, quod in Luculli vita diadema vocat, his verbis: Τιγράνης &c. καὶ τὸ διάδημα τῆς κεφαλῆς ἀφελόμενος, ἔθηκε πρὸ τῶν ποδῶν. &c. In Pompeij autem vita de hoc ipſo Tigrane memorat: καὶ τέλος ὡς πρὸς αὐτὸν ἦλθε Πομπήιον, ἀφελόμενος τὴν κίδαριν ὥρμησε πρὸ ποδῶν θεῖναι. &c. κίδαρις autem, & κίταρις, apud Græcos eandem rem denotant, mutata, vt apud Latinos quoque, δ. littera in τ. ex antiqua ſcribendi conſuetudine.

62 Imago GELONIS Siciliæ Regis, in numo eius argenteo didrachmo exſtat; in cuius poſtica parte, biga duorum equorum viſitur, cum inſcriptione, ΓΕΛΩΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ ΒΑΣΙΑΕΩΣ. Eadem imago in numis vnius drachmæ reperitur. Amicus fuit Romanorum, eiuſque multam ſcriptores mentionem faciunt; & Plutarchus quidem in Dionis vita ſcribit, quòd Dionyſius Tyrannus eum pro *Gelone* ΓΕΛΩΤΑ appellarit,

appellarit, hoc eſt *ludibrium iocumq́;* Siciliæ, quòd nimirum rationem eius regnandi nequaquam probaret.

Effigies GERMANICI adoleſcentis, in onychino lapide, ſiue K
Cameo, viſitur; manu perfectiſſimi artificis, vt ipſum opus arguit, ſculpta, vnà cum ipſius artificis Græci nomine, quod eſt Epitynchanus: quem Auguſti æuo floruiſſe veriſimile eſt, cuius etiam libertus forſan fuit; cùm credibile ſit iſto æuo imaginem illam Germanici etiámnum adoleſcentis fuiſſe factam, cùm eum Auguſtus, referente Suetonio, diu cunctatus, an ſibi ſucceſſorem deſtinaret, *Tiberio* adoptandum dederit, cùm eſſet Germanicus eius Druſi filius, qui Tiberij frater fuit. Ipſa imago perquam ſimilis eſt ijs, quas numiſmata Græca exhibent, à Caligula Imperatore filio eius cuſa: ex quarum comparatione certò colligere licet, hanc Germanici effigiem eſſe, ſed in adoleſcentia ipſius factam.

Caput HANNIBALIS ſeu ANNIBALIS, ex numo argenteo 63
tetradrachmo deſumptum eſt: in quo litteræ quę viſuntur Punicæ, nomen eius exprimunt; vt aiebat Petrus Contarenus, cuius hoc olim numiſma fuit. Exſtat verò apud Vrſinum nobilis quædam gemma (Italico idiomate dicta *Cameus*) faberrimè facta, in qua cum Annibalis effigie Amilcar quoque pater eius inſculptus eſt, ſicut ex lineamentis conijcere licet, quę videntur eſſe patris & filij, itemque ex capitis operimento Afris vſitato. Annibalem gemma iſta expreſſit puerili ætate, quaſi nouem aut decem annos natum: in qua ætate, Liuius, Appianus, Aurelius Victor, & alij, eum à patre aris admotum, perenne in Romanos odium iuraſſe ſcribunt. Quæ quidem hiſtoria in Corniola apud eumdem Vrſinum viſitur; in qua à dextris Amilcar ſacra faciens ſculptus eſt, ipſo Annibale puero ad aram ſtante, à ſiniſtris Aſdrubal galeatus patruus Annibalis. Nec à vero abhorret, ſi dicamus gemmas iſtas Afro alicui Annibalis ſtudioſo pro petra anulari fuiſſe. Et fors fuit, vt illa, quę duo capita repræſentat, ipſius *Annibalis* fuerit: cùm notum ſit, eam in agro Peruſino prope lacum Thraſimenum, vbi Annibal tetendiſſe & commoratus fuiſſe oculo amiſſo legitur, re-

pertam esse. Verba Liuij Historiam illam recensentis lib. 31. vt Græca Appiani de eadem re prætercam, hæc sunt: *Fama est, Annibalem annorum fermè nouem pueriliter blandientem patri Amilcari, vt duceretur in Hispaniam, cùm perfecto bello Africo exercitum eò traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum, se, cùm primùm posset, hostem fore populi Romani.* &c.

64 Hellenis Herois imago, ex sarda gemma, siue Corniola pulcherrima, & artificio exactissimo elaborata, desumpta est; in qua & nomen eius est insculptum. Tradunt Auctores, ab eo Græcos dictos esse ἕλληνας, eumq; Deucalionis, non Phthij fuisse filium, ab eoque ciuitatem Thessaliæ ἑλλάδα denominatam.

65 Heracliti Philosophi Ephesij, qui ob scriptorum obscuritatem σκοτεινὸς cognominàtur, effigies ex Herma eius repræsentata est: in qua hæc legitur inscriptio; ΗΡΑΚΛΙΤΟΣ ΒΛΥΣΩΝΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ. Sed & in gemma quadam anulari (*Diasprum* vocant Itali) insigni artificio sculpta visitur apud Fuluium Vrsinum. Hic *de rerum natura* librum scripsisse legitur, quem, vt ab eruditis tantùm legeretur, in templo Dianæ Ephesiæ deposuit: vnde eum Crates ablatum in Græciam deportauit, & cum Philosophis communicauit, qui *Heraclitei* postea dicti sunt. Copiosè de eo scribit Laërtius, aitque eum sexagenarium hydropisi mortuum esse.

66 Imago Hercvlis Herois, ex Corniola pulcherrima desumpta est: in qua & *Hylæ* effigies visitur, qui discipulus eius fuit, vt Theocritus in Idyllio *Hylas* scribit, de quo suo dicemus loco. Nunc minimè alienum à consilio & instituto nostro putamus, si nonnulla ad eandem *Herculis* effigiem spectantia subtexamus. Reperitur itaque imago eius puerilis in marmore, quæ quòd Hermę quadrato imposita sit, eadem fortè est, quam Cicero *Hermeraclam* nominat, de qua nos suprà in *Andocide* diximus. In basi huius Hermeraclæ, distichon Græcum illud vulgò celebratum exstat:

ΗΛΙΚΙΗΝ

ΗΛΙΚΙΗΝ ΠΑΙΣ ΕΙΜΙ ΒΡΕΤΑΣ ΔΕΣΤΗΣΑΤΟ ΦΗΛΙΞ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΕΙΚΩ ΟΙΣΘΑ ΜΕ
ΚΑΙ ΠΡΟΔΙΚΟΥ.

In eo *Prodici Ceij* Philosophi fit mentio: qui, vt auctor est Xenophon, de *Herculis* pueritia scripsit, quod & Cicero I. offic. testatur; Herculem, nimirum, relicta voluptatis via, alteram quæ virtutis erat, ingressum esse: sic vt post multos labores exanclatos, & domita multiplicia vitiorum monstra, meruerit, vt quidam præstantissimus sculpturæ artifex, ad demonstrandum se quoque post ingentes demùm labores ad illam artificij præstantiam & perfectionem deuenisse, in Corniola, quæ penes Fuluium Vrsinum est, figuram *Herculis* sedentis sculpserit, ac velut interquiescentis, & circa ipsum monstra ab eo domita, cum inscriptione Greca, ΠΟΝΟΣ ΤΟΥ ΚΑΛΩΣ ΗΣΥΧΑΖΕΙΝ ΑΙΤΙΟΣ: innuens, veram quietem & tranquillitatem labore venalem esse, nec aliter acquiri posse. Eiusdem argumenti alteram Corniolam habet idem Fuluius, pulcherrimam, & artificiosissimam; in qua similiter sculptus est *Hercules*, Cerberum fune ligatum tenens, & tria eius capita diuersis vicibus elidens: quæ res visu perquam mira est, nec aliud significat, nisi eum virtutis & laboris operâ vitia domuisse.

Imago Herodoti Historici, ex marmore est repræsentata, 67
& in pectore inscriptum habet nomen ΗΡΟΔΟΤΟΣ. Alia similis in marmore penes Fuluium exstat, quæ & in pectore idem nomen habet; sed ponè affixa ei est *Thucydidis* effigies, ex vno eodemque marmore. Is enim discipulus fuit Herodoti, & tredecim annis natu minor; cùm Herodotus LIII. annis ante Peloponesiacum bellum natus fuerit, Thucydides XL. Herodotus apud Thurios in Italia obijt, vnde nonnulli in principio librorum eius legunt, *Herodoti Thurij*, & non *Halicarnassei.* Pater eius *Xyli* nomine fuit vocatus, & non *Lyxi*, vt alibi docuit Fuluius.

Hesiodi Poëtæ effigies ex marmore desumpta est, similis 68
illi, quæ in Corniola olim videbatur, quæ nunc intercidit, no-

meneius, ΗΣΙΟΔΟΣ ſculptum habens. Illa autem, quæ in Herma marmoreo erat, cuius litteræ tantùm hodie leguntur ſuperſtites, ΗΣΙΟΔΟΣ ΔΙΟΥ ΑΣΚΡΑΙΟΣ, temporis iniuria perijt. Porrò Heſiodus LX. annis fuit ante vrbem Romam conditã, & valde ſenex obijt, vt Plutarchus ſcribit; qui & prouerbium de eo dici ſolitum recenſet, ἡσιόδου γηραιότερος, &c. Pauſanias eius ſtatuæ ex ære meminit, quam Theſpij in foro ipſi dedicatam ſtatuerunt, itemque aliarum, quæ ipſi poſitæ ſunt. Et quamuis eum nonnulli *Homero* multo antiquiorem faciant, & Velleius CXX. annis ab eo diſtinctum ſcribat; Cicero tamen, alijque ſcriptores recentiorem crediderunt.

69 Imago HIERONIS Syracuſarum Regis, in grandiuſculo argenteo numo pentadrachmo exſtat; in cuius inuerſa parte quadriga eſt, cum Victoriæ ſimulacro, loco aurigæ: quod forte innuit victoriam Olympicam Hieronis, quam Pindarus prima Oda, ſiue epinicio Olympionicarum celebrat. Litteræ quoque in numo leguntur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΕΡΩΝΟΣ. Eiuſdem effigies in quodam altero numo æneo viſitur, cuius poſtica pars ſtatuam equeſtrem habet, quam ipſi, referente Pauſania lib. 6., *Mycon* Syracuſanus artifex ſculpſit: cuius quidem Myconis Theocritus v. Idyllio meminit, quique *Ariſtotelis* imaginem ſculpſit, quæ exſtat in gemma anulari, quam Diaſprum dicunt. Sed hæc poſterior effigies, nomen tantùm habet ΙΕΡΩΝΟΣ. De Hierone multa ſcribunt Hiſtorici, quà Græci, quà Latini: apud quos legitur primùm Carthaginienſibus amicus fuiſſe Siciliam tenentibus, ſed poſteà Romanis ſe coniunxiſſe, tanquam potentioribus, & ad finem vſque vitæ in eorum amicitia permanſiſſe.

70 Imago HIERONYMI *Hieronis* filij, Syracuſarum Regis, ex numo eius argenteo didrachmo deſumpta, ſimilis planè eſt illi alteri, quæ ex ære reperitur. Vtriuſque autem generis numus in poſtica parte fulmen habet, cum litteris ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ. Eius copioſè meminit Polybius, alijque, qui res tempore ipſius geſtas deſcripſerunt.

Imago HIPPOCRATIS Medici, in numo æneo exſtat; quem Coi in honorem eius, tanquam ciuis ſui, cudi fecerunt: ſicut alibi diximus, multas alias ciuitates, ad conſeruandam ciuium ſuorum memoriam, imagines eorum monetis publicè impreſſiſſe. Porrò numus ille inuerſus, baculum Æſculapij exhibet ſerpente circumuolutum; quod Cois pro inſigni fuit, cùm quòd *Aeſculapius* medicinæ inuentor tutelaris eorum Deus eſſet, tum quòd hunc ſuum ciuem inſignem fuiſſe Medicum declarare vellent. In numis quibuſdam Romanis, à *Manio Acilio* Triumuiro Monetali cuſis, idem inſigne à familia *Acilia* vſurpatum eſt; fortaſſe ad innuendum nominis etymon, cùm *ἀκέομαι* ſit *medeor*, vel quòd in familia Acilia inſignis aliquis Medicus fuerit. Alia eiuſdem imago in pulcherrima & ſummi artificij Corniola apud Vrſinum viſitur, quam veroſimile eſt anulo incluſam geſtari ſolitam fuiſſe à Medico quopiam Hippocratis ſtudioſo. In ea pallium inſuper adiectum eſt, quod ab *Hippocrate* principe Medicorum minimè alienum fuit. 71

HOMERI imago, ex numo grandi æneo (qui *Contorniatus* Italicè dicitur) expreſſa eſt: qui ſanè numus cuſus videtur ſub poſterioribus Imperatoribus, habetque inſcriptum nomen ΩΜΗΡΟΣ, contra veram orthographiæ rationem, quæ ſcribi iubet ΟΜΗΡΟΣ, ſicut in numis Græcis reperitur: quorum præcipuus eſt, qui apud Fuluium viſitur, Amaſtrianorum; quæ ciuitas in Ponto Smyrnæorum Colonia videtur fuiſſe. Is numus in parte poſtica figuram habet fluuij Smyrnæorum ſedentis, qui Meles vocabatur, & iuxta quem Smyrnæi *Homerum* natum credebant. Fluuius autem dextra lyram tenet propter Poëtam Homerum, ſiniſtra ramum; & innititur vaſi aquam effundenti, vſitata fluminum figura, cum litteris ΜΕΛΗΣ. In alio verò eorundem Amaſtrianorum numo, Homeri effigies faſciam habet in capite, & in poſtica numi parte Victoria impreſſa eſt, palmam manu tenens. Faſcia eadem coronatus conſpicitur Homerus, non tantùm in duabus imaginibus marmoreis, ſed etiam in Corniola anulari; itemque in alia imaguncula marmorea; in cuius baſi Homeri nomen legitur. Chij 72

 quoque

quoque, vt Aristoteles & Iulius Pollux referunt, eò quòd ortum Homeri sibi vendicarent, numismatis suis sphingem, insigne eorum, vnà cum inscriptione ΧΙΩΝ; in postica autem parte, *Homeri* sedentis & Iliada manu tenentis imaginem imprimebant, cum litteris ΟΜΗΡΟΣ: vt in æreo apud eundem Fuluium numismate videre est, itemque in Corniola antiqua, quam forte Homeri studiosus quispiam gestauit. Istæ imagines ita inuicem sibi sunt similes, vt ex eodem archetypo expressæ omnes videantur: quamuis Plinius scribat Asinium Pollionem, cùm veram Homeri imaginem, quam in bibliotheca sua collocare cupiebat, habere non posset, eam finxisse, vt vnà cum reliquis aliorum Scriptorum poneretur. Aliud insuper Homeri caput apud Vrsinum in marmore spectatur; quod cùm in via Ostiensi repertum fuerit, credibile est Hermę illius esse, paullò ante ibidem inuenti, in quo tria insunt Epigrammata Græca, quorum auctor fuisse creditur Ælianus Historicus, qui *de animalibus* librum scripsit: qui forsan non procul inde villam habuit, vt ex ipsis epigrammatis colligitur, in eo Herma sculptis.

73 Imago HORATII Poëtæ Lyrici, ex numo eius æneo grandiusculo (cuiusmodi numos à tornato in eis circulo *Contorniatos* Italico idiomate appellant) desumpta est. Is porrò numus, ob ruditatem operis, Horatiano sæculo nequaquam factus videtur; sed multis pòst sæculis, cùm multorum quoque aliorum illustrium virorum imagines, memoriæ ergô, vno eodemque tempore ab aliquo posteriorum Imperatorum, vt diximus, effingerentur. Nullum est dubium, quin hæc vera *Horatij* imago sit, tametsi non vsquequaque conueniat cum eius descriptione, quæ in libris auctorum habetur: nisi forte hæc ætate minùs prouectum repræsentat; cùm secundùm nonnullorum opinionem LXXV. annos vixerit, secundùm alios LXX. tantùm, staturæ exiguæ, sed obesus, & immatura canitie.

74 HYACINTHI imago, ex Corniola pulcherrima, & artificiosissimè elaborata, expressa est; quæ loco nominis eius symbolicè florem Hyacinthum exhibet, in quem à Poëtis transformatus dicitur.

dicitur. Diadema ſiue faſciam regiam tenet, propter patrẽ *Amyclam*, qui Rex fuit Spartæ, ſiue Lacedæmonis. vnde Virgilius:

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores? &c.

Græcos imitatus Poëtas, qui ſcripſerunt in flore hyacintho duas principiales nominis eius litteras legi.

Imago HYLÆ, qui diſcipulus fuit Herculis, ſiue vt Apollo- 75
dorus ait, filius, in pulcherrima exſtat Corniola, à præſtantioris notæ artifice inſculpta; ſimul cum nomine, littera Λ. geminata, ΥΛΛΟΥ, antiquo litteras huiuſmodi geminandi more. Similiter autem ſcriptum id nomen, & in ſcriptis Theocriti, & Apollodori codicibus, reperitur; niſi quòd nonnunquam metri, aut verſus cauſa, altera littera eſt omiſſa. De Hyla Poëtæ, & fabuloſi Hiſtorici, multa ſcripſerunt: quos conſulere quis meritò debet.

Effigies ISOCRATIS Oratoris Athenienſis, ex Herma eius de- 76
ſumpta eſt: in quo inſcriptum legitur, ΙΣΟΚΡΑΤΗΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Caput non præ ſe fert ætatem nonaginta nouem, aut centum annorum, quos vixiſſe Iſocrates dicitur, ſed minùs ſenilem, aut prouectam. Scribit Plutarchus, Timotheum Cononis filium Iſocratis magiſtri ſui ſtatuam à Leochari ſculptore ſculpi feciſſe, & in Eleuſine dedicaſſe. Pauſanias aliarum quoque eius ſtatuarum meminit, quæ Athenis in memoriam Iſocratis poſitæ fuerunt, vt & Plutarchus teſtatur.

Imago IVBÆ Mauritaniæ Regis ſenioris, ex numo argenteo 77
deſumpta eſt. De eo Plurarchus in Cæſare ſcribit, quòd cùm Pompeij partes ſecutus eſſet, à Cæſare ſuperatus, vnà cum filio ſuo *Iuba* in triumpho ductus fuerit, & poſteà ad ſcribendam hiſtoriam, nec ſine laude, ſe contulerit; ſic vt & ab Auctoribus inter maiorum gentium Hiſtoricos fuerit collocatus.

Imago IVBÆ filij ſuprà nominati *Iubæ*, ex numo argenteo, 78
eiuſdem cum denario Romano ponderis, deſumpta eſt; in cuius poſtica parte, planta Silfij, & ſiſtrum inſtrumentum muſi-

cum,

cum, ſymbola & inſignia Regum Ægypti, viſuntur; quamuis in nonnullis alijs numis, Silfium ſit, & ſpicæ ſupra orbem Lunæ, cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. *Cleopatra* enim, vt refert Suetonius, alio nomine *Selene*, ſiue *Luna*, eſt appellata: quod nomen ipſi mater ſua Cleopatra fecerat, quæ ſimiliter *Iſidis* & *Lunæ* nomen ſibi ipſa ſumpſerat; ſicut maritus eius *M. Antonius Triumuir*, *Bacchi* & *Oſiridis* nomine ſe appellari fecit. Porrò alia eiuſdem *Iubæ* effigies in altero argenteo numo reperitur, in cuius poſtico Ara eſt, & ſupra eam ſerpens, vnà cum litteris G. T. M T. hoc eſt, *Genius Tutelaris Mauritaniæ*; quomodo in alijs G. T. A. explicatum eſt, *Genius Tutelaris Aegypti.*

79 Cameus (vt Itali vocant) ſiue Onyx, in quo eſt imago IVLIÆ *Auguſti* filiæ, Marcelli matrimonio deſtinatæ, oualis formæ, minoris paullò quàm mediocris magnitudinis, tantum habet artificij, vt artis huius periti perfectius aliquid ex Cameorum genere numquam fuiſſe viſum affirment. Et coniectura eſt quorundam non improbabilis, eiuſdem hoc eſſe artificis opus, qui Marcelli effigiem, inferiùs à nobis deſcribēdam, ſculpſerit. Negari vtique non poteſt, artificis, quicumque is tandem fuerit, præſtantiam à natura gemmæ nonnihil adiutam eſſe; quam etiam ſagax ille artifex, præter ceteras, elegiſſe videtur, vt iudicio ſuo in ea potiſſimùm, quantum ars in hoc operis genere valeat, oſtenderet. Ex eadem enim gemma non albedinem tantùm cutis humanæ exprimere ſtuduit, quæ in ea conſpicitur candidiſſima; ſed & ſupra lucidiſſimam capillorum rubedinem, velum itidem rubei coloris, ſed obſcurioris fecit, inque eo colli candorem, veſteſque circa collum terminauit, reliqua imagine in pulcherrimo Corniolæ fundo remanente. Filum ipſum faciei, ſtupendæ eſt pulchritudinis; quodque mirificè confirmet ea, quæ de forma Iuliæ, & impudicitia, ab Hiſtoricis referuntur: quamuis hæc vultus eius diuinitas origini potiùs (quippe quæ Auguſto nata eſt, qui & ipſe formoſiſſimus fuiſſe legitur) quàm turpitudini morum eius conuenire videatur. Et euidenter apparet, artificem in hac gemma eam vultus ſerenitatem exprimere

primere voluisse, quam in Homericis versibus legimus expressam, à quibus Phidias sculptor nobilissimus Iouis imaginem desumpsisse fertur: quam etiam Virgilius lib. 1. versu. 259. expressit, cùm dixit:

Vultum quo cœlum, tempestatesq; serenat, &c.

Atque hanc ipsam eiusdem Iouis serenitatem etiámnum Cameus, qui penes Cardinalem Farnesium asseruatur, ita repræsentat, vt videatur ex ipso Homero esse expressus; itemque Corniola quædam artificiosissima Fuluij Vrsini. Non hîc consilij nostri est recensere omnia, quæ de *Iulia* Auctores scripsêre, quòd primùm Marcello, deinde M. Agrippæ, demùm Tiberio Imperatori nuptum data fuerit: siquidem minutiora ista, aliaque impudicitiæ & adulteriorum eius exempla, peti possunt à Seneca, Tacito, Paterculo, Suetonio, Dione, & Macrobio; qui dicta quoque eius nonnulla recitat, quæ velut lasciuiora, quàm vt à nobis iterari debeant, omittimus. Illud fortè memoratu non indignum fuerit, vultum Iuliæ in dicta gemma adolescentioris videri ætatis, & eius fortassè temporis, cùm Marcelli matrimonio (quod tamen ob eius mortem præmaturam fuit irritum) destinata esset.

Imago IVLII CÆSARIS Dictatoris, in Cameo faberrima artificis manu insculpta visitur, quæ Molsæ Poëtæ olim in delicijs fuit: tametsi frequentes sunt Cæsaris imagines, tam in numis aureis, argenteis, & æneis, quàm in marmoribus, diuerso tempore à varijs Imperatoribus percussis & sculptis. Maior autem pars numorum eius eo tempore cusi sunt, quo Augustum adoptauit, partim perfecto artificio, partim rudi. 80

Imago L. IVNII BRVTI primi Consulis, & vindicis libertatis Populi Romani, ex numo argenteo repræsentata est, quem à *Marco Bruto* percussore Cæsaris cusum fuisse non malè suspicamur. Scribit Plutarchus in Capitolio dedicatam fuisse *L. Bruti* statuam, gladium nudum manu tenentis; cui, vt Suetonius narrat, tum cùm de Cæsaris nece consilia agitarentur à Coniuratis, subscriptum fuit, VTINAM VIVERES. Eiusdem statuæ Cicero quoque 2. Philippica his verbis commeminit: 81

Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum vterque L. Bruti imaginem quotidiè videret, alter etiam Ahalæ. &c. Et fortean eius statuæ caput, fuit æneum illud, quod hodie in Capitolio visitur, multis abhinc annis à Rudolpho Pio Cardinali Carpense illic dedicatum: sicut etiam fieri potest, vt alterius statuæ, nempe Ahalæ, fuerit caput illud æneum, quod olim Petri Bembi Cardinalis fuerat, & hodie in Pinacotheca Cardinalis Farnesij inter alias multas venerandæ antiquitatis reliquias asseruatur. Aliæ quoque Bruti imagines reperiuntur in gemmis anularibus, ab eiusdē familiæ *Iuniæ* hominibus si fortè portari solitis.

82 Imago M. Ivnii Brvti, percussoris Cæsaris, in numo argenteo reperitur; cuius Dion lib. 47. meminit, scribens, Brutum, occiso Cæsare, monetam percussisse, cum imagine sua, & cum pileo libertatis indice; itemque duobus pugionibus, suo nimirum, & Cassij. In eo numo qui habetur Bruti vultus, cum Ciceronis loco conuenit, qui est in epist. ad Attic. *Non te Bruti vulticulus ab ista oratione deterret?* &c. Aliæ eiusdem Bruti effigies apud Fuluium visuntur in gemmis anularibus, multum inter se similes. In marmore quoque imago quędam eiusdem sculpta reperitur, verbis Ciceronis suprà citatis mirificè conueniens.

83 Imago Q. Labieni cognomento *Parthici*, ex rarissimo eius numo desumpta est; qui argenti pondere denarium Romanum æquat. Neque dubium est, quin cusus sit eo tempore, quo Labienus Parthorum fuit Imperator, vt disertim testantur Dion lib. 48. & Appianus libro bellorum Parthicorum, & lib. 5. Ciuilium, in quo scribit, Q. Labienum T. Labieni filium fuisse, eius qui priùs Cæsarianus, deinde Pompeianus fuerit. Ratio autem cognominis, cur *Parthicus* diceretur, ab Appiano & Dione locis suprà citatis peti potest.

L Leandri *Herois* imaginem antiqua nobis gemma, amethystus nuncupata, lepidam prorsus exhibet: in ea enim excellens artifex, ad indicandam artis præstantiam, *Leandrum* ipsum

inter

inter turbatos maris fluctus, quasi ad amatam *Heronem* natantem sculpsit summo, vt apparet, artificio. *Leandri* huius & *Heronis* fabulosam historiam scripsit carminibus Græcis Musæus, non ille quidem antiquior, quem Virgilius celebrat illo versu:

Musæum ante omnes, &c.

sed alius recentior eodem prçditus nomine. Cuius etiam argumenti leguntur Ouidij epistolæ quædam amatoriæ *Heronis ad Leandrum*. Exstat præterea apud Fuluium Vrsinum nobilis quædam gemma, in qua cernitur turris Græcis insculpta litteris; quæ indicant, illam esse *Sesti* turrim, vnde Hero puella venientem ad se noctu ex opposita Abydo Leandrum ad lumen laternæ, tanquam è specula spectare consueuerat. In qua item gemma *Cupido* sculptus est, tubę sonitu, quasi cunctantem *Leandrum* excitans; expresso ibidem altero Cupidine, qui nauem quandam in ipsis maris vorticibus ex littore Sesti Abydum versus ad excipiendum Leandrum dirigit, quasi ad illud Ouidij carmen respiciens:

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido, &c.

Caput LEODAMANTIS insignis Rhetoris, ex Herma eius petitum est, tametsi litteræ prę vetustate corrosę euanuerint. Eadem effigies in diaspro viridi reperitur, cum inscriptione, ΛΕΩΔΑΜΑΣ: cui adsculptum est iuuenis cuiusdam caput, quod Oratoris *Aeschinis* fuisse etiámnum iuuenis suspicari quis potest, cùm Plutarchus *Leodamantem Aeschinis* præceptorem fuisse scribat. 84

Imago L. LIVINEI REGVLI in numis argenteis visitur, cusis, vt apparet, à L. Regulo eius filio: qui tempore Triumuiratus Augusti, & M. Antonij, Quattuoruir Monetalis fuit, velut ex inscriptione numi aurei colligere licet, in qua est, IIII. VIR. A. F. F. Porrò verosimile est, in memoriam patris hanc à filio monetam fuisse factam: qui quidem pater Cæsari coëtaneus fuit, sicut ex ijs, quæ Cicero & Hirtius scribunt diuersis locis, itemque ex numo argenteo colligitur; in cuius parte antica effigies *Cæsaris*, in inuersa verò *Taurus*, Ædilitatis ipsius *Liuinei* symbolum, impressus est. M

85 Imago LYSIÆ Oratoris Athenienſis in marmore exſtat, & litteras habet in pectore, ΛΥΣΙΑΣ. Sed in Herma capite truncato, qui apud Fuluium reperitur, litteris quadratis inſcriptum eſt, ΛΥΣΙΑΣ ΚΕΦΑΛΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ: tametſi in alio Herma, qui apud Horatium Victorium exſtat, tantùm legatur ΛΥΣΙΑΣ, ſine patris nomine. Vixit *Lyſias*, ſecundùm quoſdam, annos LXXVI. ſecundùm alios verò LXXXIII. Mortuus eſt Athenis, vbi eſt natus, ſicut Cicero ſcribit in Bruto.

86 Imago MAGONIS *Carthaginienſis*, cum altera, quæ ſimul ſculpta eſt, DIONYSII *Vticenſis*, ex gemma deſumpta eſt, quæ Italicè *Praſma* appellatur, formæ oualis & grandioris; vt tantùm memoriæ horum, non verò anulo alicui ſeruiſſe videatur. Cùm verò palliatæ ſint ambæ iſtæ imagines, omnino Philoſophorum videntur fuiſſe: quòd ſi Philoſophorum, veroſimillimum eſt ob habitum, & faciem Africano vultui ſimilem, eſſe eas ſupradictorum *Magonis* & *Dionyſii*. Cur autem ſimul poſitæ fuerint, cauſa eſſe poteſt, quòd *Dionyſius Vticenſis Magonis* de agricultura libros in Græcum ſermonem tranſtulerit; velut apud Varronem, Columellam, & Plinium, multis locis legimus.

87 Imago M. CL. MARCELLI, qui filius fuit Octauiæ ſororis Auguſti, in ſarda gemma, vulgò Corniola dicta, viſitur pulcherrima, formæ oualis, non admodum magna, ſed exquiſitiſſimi artificij: quippe quæ artis huius peritis ab artifice aliquo æui Auguſti facta videatur, verbi gratia, ab Epitynchano, aut Zoſimo, quorum exſtant nomina in priſcis Cameis, alijſque ſculpturis; vel certè à Dioſcoride, qui Auguſti fecit imaginem, qua ille ſignare ſolitus fuit, ſicut Suetonius & Plinius referunt. Cuius Dioſcoridis opus fuiſſe creditur gemma illa adeò celebrata, quam *Praſma* Itali vocant, in qua imagines inſunt Auguſti & Liuiæ, de quibus ſuprà: itemque Auguſtus deificatus cum corona radiante, in ſarda gemma ſiue Corniola inciſus; quæ exſtat apud Fuluium Vrſinum, cum nomine DIOSCORIDIS. Eiuſdem etiam veriſimile eſt eſſe Cameum illum ſiue onychinam gemmam,

gemmam, in qua imago eſt Iuliæ Auguſti filiæ, matrimonio M. Marcelli deſtinatæ, de qua ſermo nobis fuit ſuperiùs. Hæc autem *Marcelli* imago, quem Auguſtus poſteà adoptauit ſibi, ætatem vigintiquatuor annorum præ ſe fert, quot ipſe vixiſſe ab Hiſtoricis dicitur. Qui quidem annorum numerus hoc pacto colligi poteſt: C. Marcellus pater eius, qui Conſul fuit cum L. Paullo A. V. DCCIII. Peruſino bello occubuit, qui fuit annus V. C. DCCXII. quo tempore Marcellus ad minimum quattuor, aut quinq; annos habuit. Et cùm Suetonius in Tiberio cap. VI. ſcribat, Tiberium annos nouem natum, funebrem orationem more ſolito pro Roſtris in laudem Druſi patris ſui recitaſſe, & poſteà adultiorem, &, vt ipſe ait, pubeſcentem in triumpho Actiaco Auguſti currum à ſiniſtris comitatum eſſe, cùm à dextris *M. Marcellus* equitaret; videtur Marcellus eo tempore pubertatis annos iam attigiſſe, neque annos minùs XIV. aut XV. natus fuiſſe; cùm Cicero pro Murena dicat, currum patrum triumphantium, filios prætextatos comitari ſolitos: qui cùm prætextam ad decimumquintum vſque annum geſtare conſueuerint, non poterat tunc Marcellus minor eſſe XIV. aut XV. annis. Quòd ſi annos habuit XV. vt habuiſſe iam certum eſt, triumphus autem Actiacus fuit anno vrbis DCCXXI. ac ſi poſteà annos nouem ſuperuixit Marcellus, vſque ad annum V. C. DCCXXXI. in quo ipſe obijt, vt Dion lib. LIII. teſtatur, completus erit numerus annorum XXIV. quos vixiſſe legitur. Neque verò hac in re Seruio Grammatico multum fidere oportet, in IV. Æneid. ſcribenti de Marcello, quòd XVI. anno incidit in morbum, & XVIII. perijt. Siquidem fieri poteſt, vt vel in notis numeralibus errauerit librarius (quod ſæpiùs accidit) vel Seruius tanquam Grammaticus non adeò exactam annorum Marcelli rationem inierit. Verba Suetonij, de pubertate Tiberij & Marcelli ſcribentis, hæc ſunt: *Nouem natus annos, defunctum patrem pro Roſtris laudauit: dehinc pubeſcens, Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cùm Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* &c. Dionis verò de morte *Marcelli*, quæ fuit anno DCCXXXI. hæc ſunt verba, ex Græco tranſlata: *Verùm enimuerò vt palàm conuinceretur hic*

Musa opus fortunæ fatiq; sibi arrogasse, euenit paullò pòst, vt Marcellus ægrotans, eademq; ratione à Musa eodem curatus, mortem obiret: quem funere publico elatum, laudatumq; pro more, Augustus in sepulchrum ab ipso factum condidit; memoriaq; eum theatri eius, quod antè cœptum à Cæsare Marcelli dictum est, honestauit: iussitq; vt ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaq; corona, & sella curulis, in theatrum inferretur, mediaq; inter præfectos ijs ludis Magistratus collocaretur. &c. Imago *Marcelli* in hac Corniola diuinam quandam pulchritudinem repræsentat, capillos habens crispos & cincinnatos, egregij prorsus artificij; vt Virgilius se quasi ad exprimendam eam imaginem composuisse videatur, lib. VI. Æn. cùm Marcelli faciem versibus tantopere celebratis describeret:

Egregium forma iuuenem, fulgentibus armis, &c.

Tria attingens, vt, referente Seruio, Carminius Grammaticus dicebat: ætatem, verbo *iuuenem*: pulchritudinem, dum *egregium forma* dicit: & virtutem in bello, *fulgentibus armis*. Et quamuis versu sequenti, *Sed frons læta parum*, &c. ad mortem eius imminentem respexisse videatur: nihilominus diuina prorsus arte exprimit tristitiam quandam, quam in Corniola ingeniosus artifex repræsentauit, quòd aut naturæ esset Marcellus subtristioris, aut quòd grauissimis eius cogitationibus, quas agitabat, facies conueniebat, grauitati consiliorum potiùs, quàm florentis ætatis lætitiæ respondens.

88 Gemma Onyx, Cameus vulgò dicta, cum imagine C. MARII, formæ est oualis, & mediocris magnitudinis, ipsum iam senem representans, & forsan eius ætatis, qua obijt, anno nimirum septuagesimo: vt mirum sibi videri Cicero scribat, *Marium hominem perfidiosissimum* (sic enim eum nominat, quamuis ciuem suum) *annos natum septuaginta, in septimo suo Consulatu, & morte non violenta obijsse.* Imago ipsa exquisiti est artificij, eamque vultus austeritatem repræsentat, quam Appianus in primo libro bellorum Ciuilium in *Mario* naturalem fuisse scribit: cui similia Plutarchus refert, vultum nimirum *Marij*, morum acerbitatem quandam & amarulentiam præ

se

ſe tuliſſe, eamque non affectatam, ſed naturalem, ſiue ingenitam, vt ita meritò *Gratijs ſacra facere & litare debuerit*, ad auſteritatem ſcilicet illam temperandam: id quod Xenocratem olim Plato facere iuſſerat. Eamdem auſteritatem ſcribit Plutarchus à ſe in *Marij* ſtatua, quæ tum Rauennæ erat, obſeruatam fuiſſe, his verbis: Τῆς δὲ ὄψεως τοῦ Μαρίου λιθίνην εἰκόνα κειμένην ἐν Ραβέννῃ τῆς Γαλατίας ἐθεώμεθα, πάνυ τῇ λεγομένῃ περὶ τὸ ἦθος στρυφνότητι καὶ πικρίᾳ πρέπουσαν. &c. hoc eſt: *Porrò vultus Marij Rauennæ vidimus in Gallia poſitum ſimulacrum, ſtatuam marmoream, quæ mirè morum eius acerbitatem & amarulentiam referebat.* &c. Ex quibus verbis colligitur, Plutarchum Rauennatem *Marij* ſtatuam ad teſtimonium citare; eò quòd Romanæ eius ſtatuæ, tametſi à Cæſare, qui *Marij* affinem ſe prędicabat, reſtitutę, non adeò multę fuerint, ſed potiùs nullę, quando eas Sulla hoſtis Marij, magnam partem deiecerit, & afflixerit. Numi autem eius ęnei, & argentei, qui hodie circumferuntur, vt & alię ſimiles cœlaturę, omnes ſunt commentitię & adulterinę: non minùs quàm omnes alij numi cum imagine *Ciceronis*, prędter eum, quem nos hoc libro edidimus. Si enim tempore Plutarchi numi *Mariani* exſtitiſſent, eorum potiùs auctoritate, quàm Rauennatis ſtatuæ, vſus fuiſſet. Illa igitur ſtatua, quæ *Marij* eſſe vulgò creditur, & hodie in Capitolio cernitur, Iuriſconſulti cuiuſpiam imago eſt, vt ex habitu colligitur; itemque ex capſula ad pedes eius poſita, cuiuſmodi in aliorum quoque Iuriſconſultorum ſtatuis videre eſt, ad ſignificandum, leges & conſtitutiones in ijs aſſeruari, cùm inſcriptum ſit, CONSTITVTIONES. Quod quidam non intelligentes, in baſi illius ſtatuæ, nomen *Marij* nuper repoſuerunt, cum inſcriptione, C. MARIVS COS. VII. cùm reuera dici nequeat eam eſſe *Marij*, quamuis antiquam eſſe conſtet, & artificij non contemnendi. Sed cum imagine *Marij* ſuperiùs à nobis deſcripta, ſimilitudinem quandam habet altera marmorea, naturalem magnitudinem excedens, quam Cardinalis Farneſius inter antiquitates ſuas habet: & maiorem quoque eiuſdem *Marij* imaginis ſimilitudinem gemma anularis continet, quæ eſt apud Fuluium Vrſinum, quæque ſimiliter auſteritatem illam

Marij,

Marij, & ætatem prouectam egregiè repræsentat.

89 Caput Maximi Philosophi Romani, ab Herma suo abruptum est; in quo inscriptum legitur, ΜΑΞΙΜΟΣ ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΡΩΜΑΙΟΣ. Qui si idem ipse est, vt esse creditur, cuius vitam Eunapius describit, magnus sanè fuit Philosophus, & Iuliani Apostatæ Imperatoris præceptor. Cuius & Ammianus Marcellinus meminit, vimque oculorum eius, & barbam intonsam describit.

90 Imago Menandri Poëtę Comici, in rotunda tabella marmorea exstat; cui altera similis tabella orbiculata, *Sophoclis* imaginem exhibet, de qua mox loquemur. Ambæ autem in monumento Poëtę cuiusdam extra portam Aureliam repertæ fuerunt: super cuius reliquias, siue cineres in eo monumento conditos, statua Apollinis erat posita cum imaginibus nouem Musarum, Homeri prętereа, & Poëtarum Euripidis & Pindari. Porrò hęc imago pallium Comicum exhibet, & Menandri nomen in gyro orbiculatę istius tabellæ insculptum. Alia effigies sine nomine in marmore exstat apud Vrsinū; eique iuncta visitur *Sophoclis* imago, cùm hic Tragœdiæ, ille Comœdiæ princeps fuerit. Alia item imago, & ipsa palliata, in tabella marmorea reperitur; in qua velut symbolum, & insignia quædam insculpta sunt ad Comicum Poëtam pertinentia, persona nempe siue larua, & baculus Comicus. Apud Agellium tres Apollodori versiculi leguntur, qui cum antiqua Menandri inscriptione, quæ subiungitur, pulchrè conueniunt.

ΜΕΝΑΝΔΡΟϹ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥϹ
ΚΗΦΙΣΙΕΥϹ ΕΓΕΝΝΗΘΗ ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟϹ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥϹ
ΕΤΕΛΕΥΤΗϹΕΝ ΕΤΩΝ. Ν̄
ΚΑΙ. Β̄. ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟϹ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΚΑΤΑ. ΤΟ. Β̄
ΚΑΙ. Α̅ ΕΤΟϹ ΤΗϹ ΠΤΟΛΕΜΑΙ
ΟΥ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟϹ ΒΑΣΙΛΕΙΑϹ.

Apollodori quidem versus sunt hi:

Κηφισιεὺς ὢν ἐκ Διοπείθους πατρός,

Πρὸς τοῖς ἑκατὸν πέντε γράψας δράματ᾽
Ἐξέλιπε πεντήκοντα καὶ δυεῖν ἐτῶν.

Scribit Donatus, Terentium è Gręcia redeuntem cum centum & octo Comœdijs *Menandri* à ſe Latinè conuerſis, in mari ſuffocatum perijſſe, & ad portum Athenienſium Piræęum appulſum fuiſſe; vbi Menander ab Athenienſibus ſepultus fuit, & ſtatua in loco celebri, quà ex Piræeo Athenas itur, poſita poſtea cohoneſtatus. Erat etiam Conſtantinopoli in Gymnaſio publico alia Menandri ſtatua, à Chriſtodoro in Epigrammatis celebrata. Itemque Romæ Hermes capite nunc truncatus ſpectatur: in quo Epigrammata leguntur Æliani Hiſtorici in laudem Menandri; ex quo apparet, ſtatuam illam in eius villa dedicatam fuiſſe è regione imaginis *Homeri*, de qua ſuperiùs diximus.

Imago M. METTII EPAPHRODITI Grammatici Græci, ex ſtatua eius marmorea deſumpta eſt, in cuius baſi hæc eſt inſcriptio: 91

M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRÆCVS
M. METTIVS GERMANVS FEC.

Fuit libertus, vt apparet, *M. Mettij* eius, qui temporibus C. Cæſaris Dictatoris floruit, vel potiùs alicuius filiorum eius; cùm ſcribat Suidas, *Epaphroditum* ex patria Chęronea Romam veniſſe, ibique Impp. Nerone & Nerua floruiſſe. Liber, quem manu tenet, credi poteſt eſſe ſcriptum eius aliquod aut opus *Grammaticum*; & fortaſſe id ipſum, quod vetus Commentator Theocriti titulo περὶ στοιχείων citat: etſi ſcribat Suidas, *Mettium* hunc valdè deditum fuiſſe libris varijs colligendis, eorumque copiam magnam poſſediſſe.

Caput MILTIADIS *Athenienſis*, in Herma eius exſtat; cui litteræ quadratæ ſunt inſculptę, ΜΙΛΤΙΑΔΗΣ ΚΙΜΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Alius autem Hermes, cum diſticho Græco & Latino, olim in monte Cœlio repertus fuit: vbi in villa quadam inter multos alios Hermas poſitus erat; vt ex 92

fragmento eius Hermæ, qui ſimul eſt repertus, apparet. Is Perſei fuit: & in eo, præter diſtichon Græcum & Latinum, hęc eſt inſcriptio; ΠΕΡΣΕΥΣ ΤΥΡΑΝΝΟΥ. Sic enim nominatur Iuppiter, vt Rex deorum. Ex eius Hermæ verſibus, etſi vetuſtate litteris corroſis & euaneſcentibus, fabula originis Perſei colligitur ex Danaë, & Ioue in aurum conuerſo. Res geſtæ *Miltiadis* adeò copiosè ab Herodoto, alijſque Auctoribus deſcribuntur, vt minimè neceſſe ſit eaſdem hîc commemorare. Porrò verſus Græci & Latini, qui leguntur in illo Herma, ſunt hi:

QVI PERSAS BELLO VICIT MARATHONIS IN ARVIS
CIVIBVS INGRATIS ET PATRIA INTERIIT.
ΠΑΝΤΕϹ ΜΙΛΤΙΑΔΗ ΤΑΛΑΡΗΙΑ ΕΡΓΑΙϹΑϹΙΝ
ΠΕΡϹΑΕ ΚΑΙ ΜΑΡΑΘΩΝ ϹΗϹ ΑΡΕΤΗϹ ΤΕΜΕΝΟϹ.

93 Imago MILONIS CROTONIATÆ, ex argenteo vnius drachmæ numo deſumpta eſt: in quo Crotoniatæ, caput eius velut ciuis ſui, & celeberrimi athletæ, impreſſerunt. Hic tantarum virium fuiſſe legitur, vt bouem ſublimem humeris ferre potuerit: id quod Græci Poëtæ referunt, & Cicero in Catone Maiore his verbis teſtatur: *Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cùm humeris ſuſtineret bouem*, &c. Quæ ipſa hiſtoria in marmorea tabella artificiosè inſculpta viſitur, in qua imago Milonis huic numo noſtro prorſus eſt ſimillima, vt etiam in ſarda quadam gemma perfecti artificij.

94 Imago MINOIS Cretę Regis, ex numo argenteo tetradrachmo, & didrachmo, deſumpta eſt: quibus ciues Gnoſi, quę Cretæ eſt ciuitas, *Minois* imaginem, ad memoriam Regis & legiſlatoris ſui conſeruandam, inſculpſerunt.

95 Imago MITHRADATIS Ponti Regis, ex numo tetradrachmo deſumpta eſt; in cuius poſtica parte hæc legitur inſcriptio, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΩΡΟΣ. cuius cognomenti Hiſtorici quoque meminerunt. In numis ęneis eadẽ imago reperitur; ſed omiſſo ΕΥΠΑΤΩΡΟΣ cognomine, legitur tantùm ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ, vt in illo argenteo,

argenteo, & non ΜΙΘΡΙΔΑΤΟΥ, vt vulgò vitiosè ſcribitur.

Caput MOSCHIONIS Poëtæ Comici, ex marmorea eius ſtatua deſumptum eſt, cuius baſi nomen ΜΟΣΧΙΩΝ legitur inſcriptum. Comœdiarum eius Stobæus & Clemens Alexandrinus ſæpiùs meminere. 96

Imago NERONIS CLAVDII CÆSARIS, Germanici Cæſaris F. reſpiciens imaginem vxoris eius *Iuliæ*, Druſi F. Tiberij Auguſti neptis, deſumpta eſt ex anulari ſarda gemma (quam vulgò Corniolam vocant) artificis ſatis docti diligenti manu ſculpta. Refert enim eius eam ætatem, qua Tiberius illum Senatui commendauit, vt quinquennio priùs quàm ei per leges liceret, Quæſturam petere poſſet. Cuius Quæſturæ, & eius item Auguſtalis flaminij, mentio eſt in antiqua inſcriptione, quam infrà deſcribendam curauimus. Hic nono poſt Quæſturam adeptam anno, in Pontiam Inſulam relegatus, perijt fraude Seiani, vt ex hiſtorijs intelligitur. Inſcriptio talis eſt: N

OSSA
NERONIS. CÆSARIS
GERMANICI. CÆSARIS. F
DIVI. AVG. PRON. FLAMIN
AVGVSTALIS. QVÆSTORIS

Huic autem Neronis imagini perquam ſimilis eſt illa, quæ in poſtica parte numorum Tiberij Auguſti reperitur; in quibus caput quoque Druſi fratris eius impreſſum eſt, Neronis huius ex aduerſo caput reſpiciens.

Imago NICOMEDIS Bithyniæ Regis, in numo eius tetradrachmo exſtat, cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΟΜΗΔΟΥ. cuius crebra & copioſa eſt mentio, tam apud Latinos, quàm apud Græcos ſcriptores. O

Imago NVMÆ POMPILII ſecundi Regis Romani, ex numo argenteo deſumpta eſt; prorſus ſimilis illi, quæ eſt in numo æneo, in quo & Regis *Anci* effigies eſt. Vtraque autem *Numæ* effigies, nomen ipſius habet inſculptum; quamuis in alijs æneis numis additum ſit, NVMÆ POMPILI. *Numa* ſtatuam in Capitolio 97

pitolio conseruatam Plinius & Appianus scribunt, vt verosimile sit ad eius exemplum numismata cum eius imagine percussa esse à familijs *Calpurnia* & *Marcia*, quæ à filijs *Numæ* nomina deduxerunt.

98 Imago NVMONII VALÆ, ex argenteo eius ordinarij ponderis numo desumpta est; in quo legitur, C. NVMONIVS VAALA. Sic enim geminata A. littera antiquitus scribebant, sicut VAARVS, & similia; de quibus vir doctissimus, & Romanæ Antiquitatis peritissimus *Lipsius*, agit in libro *de Pronunt. Linguæ Latinæ*. Ad hunc *Vaalam* scribit Horatius 15. epist. lib. 1. quę incipit:

Quæ sit hiems Veliæ, quod cælum Vala Salerni, &c.

vbi etiam manuscripti codices in epistolæ illius inscriptione similiter legunt: AD C. NVMONIVM VALAM, vt copiose ibi doctiss. Læuinus Torrentius disseruit. Hunc scribit Velleius Paterculus *Quinctilio Varo* in Germania legatum fuisse. vnde temporibus Augusti vixisse colligitur.

99 Imago OENEI, vel AENI Herois, ex numo argenteo Græco tetradrachmo faberrimè facto desumpta est: quem *Aenus* siue *Oenus* Thessaliæ ciuitas in memoriam Regis vel conditoris sui videtur percussisse. Hic *Gunei* frater fuit, quem Homerus in catalogo nominat. Sed non satis certò scitur, num caper, & Sileni imago in postica numi parte posita, & ad Bacchum pertinens, ad etymon *Oeni* respiciant, tamquam ductum à voce οἶνος, id est vinum (quod vult Eustathius) an verò hæc symbola fuerint posita ad innuendam vini abundantiam, quam ager *Oeni* seu *Aeni* producit. Sed hæ meræ sunt coniecturæ, quibus quantum quisque volet, fidem habere poterit.

100 Imago PAPINIANI Iurisconsulti, & PLAVTIÆ vxoris eius, in gemma anulari amethysto exstat, vnà cum nominis vtriusque principialibus litteris. Sed istud vxori eius nomen fuisse, tantùm ex hac gemma habemus affirmare; & credibile est hanc secundam *Papiniani* vxorem fuisse, filiam (vt putamus) *Plautiani*, & sororem *Plautillæ*, quæ coniux fuit *Caracallæ* Imperatoris. Hinc illam inter Seuerum & Papinianum affinitatem fuisse

fuisse verosimile est, de qua Spartianus in *Caracallæ* vita sic scribit: *Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Seuero, & vt aliqui loquuntur, affinem etiam per secundam vxorem, memoriæ traditur.* &c. *Papiniani* imago, Iurisconsulti comam, *Plautiæ* verò, ornatum muliebrem temporum illorum exhibet.

Imago PERGAMI Herois in numo æneo exstat, quem in memoriam Regis & conditoris sui Pergameni percusserunt; vt ex hisce in antica parte inscriptis litteris apparet, ΠΕΡΓΑΜΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ: itemque ex ijs, quæ in postica parte sunt, ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. Modus huius inscriptionis ΚΤΙΣΤΗΣ, in multis alijs numis reperitur, maximè in Alexandrinis, qui in anteriori parte *Alexandri Magni* caput pelle leonis tectum habent, cùm litteris ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ: & in postica, ΟΜΟΝΟΙΑ, hoc est Concordia, *Alexandrinorum* scilicet cum *Pergamenis*. 101

Imago PERSEI filij *Philippi* Macedoniæ Regis, cum quo Romani bellum Persicum gesserunt, & de quo *Paullus Aemilius* triumphauit, exstat in numo grandi argenteo, itemque in alio minoris ponderis similiter argenteo artificiosissimè facto: in quorum postica parte est aquila cum fulmine, & hæc inscriptio; ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΕΡΣΕΩΣ. 102

Imago PERSII Poëtæ Satyrici, ex tabula marmorea, faberrimè sculpta, desumpta est; quæ fuit olim *Iacobi Cardinalis Sadoleti*, qui persuasissimum sibi habebat hanc Persij esse effigiem, cùm propter hederam, qua Satyrici Poëtæ coronari solebant, tum propter Cornuti Grammatici de Persio verba, optimè in hanc imaginem congruentia. Ea sic habent: *Fuit verò Persius moribus lenissimis, ac virginali ferè quadam verecundia, formaq; modesta ac pulchra.* &c. Vixit Persius tempore Neronis Imperatoris, Satyra clarus: & obijt ex infirmitate stomachi, annos natus XXIX. vt Eusebius scribit; aut secundùm alios, XXX. 103

Imago PHILEMONIS Poëtæ nouæ Comœdiæ, exstat in numo æneo à Pompeiopolitanis percusso: qui, teste Strabone, 104

Ciliciæ erant populi, & honoris ac memoriæ ergô, *Philemonis*, & *Arati*, de quo ſuprà diximus, ciuium ſuorum imagines numis impreſſerunt; quamuis Suidas Syracuſis natum *Philemonem* dicat, cui adſtipulatur inſcriptio Hermę, quæ talis eſt, ΦΙΛΗΜΩΝ ΔΑΜΟΝΟΣ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΣ, Tibure inuenta ſuperioribus annis. Eadem imago in Cameo artificiosè facta reperitur; ſicut ſuperioribus annis Hermes eiuſdem marmoreus in bibliotheca Nicolai Cardinalis Rodolphi exſtabat, cum inſcriptione, ΦΙΛΗΜΩΝ: cuius Pierius in Hieroglyphicis meminit, ſibique viſum Pyrrhus Ligorius aſſerebat. Vixit *Philemon* complures annos, eiuſque mortem Val. Maximus lib. IX. cap. 12. deſcribit, aſſentiens ijs, quæ de ipſo Lucianus in *μακροβίοις* & Suidas prodidere; & aliter paullò Plutarchus, in libello, *An Seni gerenda Reſp.*

105 Imago PHILETÆRI Eunuchi (cui ſecundùm Pauſaniam & Athenæum Paphlagonia patria fuit, quamuis eum Strabo modò Cappadocem, modò Bithynum dicat) ex numo eius argenteo tetradrachmo deſumpta eſt: in quo non legitur verbum ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ſed tantùm ΦΙΛΕΤΑΙΡΟΥ: quomodo & Philippus Macedoniæ Rex apud Liuium ait, nec Eumenem nec Attalum ſucceſſores *Philetæri* Regio nomine delectatos eſſe. *Philetærus*, mortuo Lyſimacho, qui Antigono poſt Alexandrum Magnum ſucceſſit, Pergami dominium habuit: quod poſt eum ſucceſſores eius *Eumenes* & *Attalus* ampliarunt, quamuis fratres *Philetæri*, & ipſi familiam & imperium nonnihil propagarint, cùm *Philetærus* Eunuchus eſſet. De eo multi Hiſtorici meminere, quos conſulere licet.

106 Imago PHILIPPI Syriæ Regis, cognomento EPIPHANIS & PHILADELPHI, in numo argenteo tetradrachmo exſtat, in quo legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Hic, mortuo fratre Antiocho, qui cognominatur *Euſebes*, Syriæ regnum occupauit; ſed poſteà ab *Antiocho*, cui cognomen fuit *Dionyſius*, expulſus eſt, vt Ioſephus, Egeſippus, alijque ſcribunt.

Imago

Imago PHILIPPI Macedoniæ Regis, cum quo Romani Philippicum bellum gesserunt, & de quo *T. Quinctius Flamininus* triumphauit, in numo eius argenteo tetradrachmo, itemque in altero didrachmo exstat; in cuius vtriusque postica parte Herculis claua visitur, proprium Macedoniæ Regum insigne. Vtriusque numi eadem est inscriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ. 107

Imago PHILISTIDIS Reginæ, visitur in numo eius argenteo tetradrachmo, itemque didrachmo: cuius vtriusque eadem est inscriptio, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΦΙΛΙΣΤΙΔΟΣ; idem quoque posticæ partis insigne, currus nimirum triumphalis, seu quadriga. Huius numi Suidas meminit, eumque *νόμισμα φιλιστίδειον* appellatum scribit. Sed quo in loco Siciliæ, aut Magnæ Græciȩ, vbi vt plurimùm numi huiusmodi reperiuntur, regnauerit, ignoratur; tametsi in quopiam locorum istorum regnum habuisse existimetur. 108

PHOCIONIS Atheniensis caput non habemus, cùm illud temporum iniuria ab Herma suo abruptum sit. Porrò ex eius Hermæ inscriptione, quæ est ΦΩΚΙΩΝ ΣΟΦΙΛΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΣ, filium Sophili fuisse discimus; quamuis Plutarchus nusquam sibi patris nomen repertum scribat. *Alexandri Magni* temporibus vixit, ab eoque sic æstimatus fuit, vt huic soli, & *Antipatro*, in litteris SALVTEM scriberet; vt *Duris* Historicus prodidit. De rebus eius gestis Plutarchus copiosè scribit. Pausanias quoque statuæ meminit, ab Atheniensibus in celeberrimo vrbis loco ipsi positæ; postquam eum ob suspicionem, qua Piræeum portum hostibus prodidisse credebatur, capitis condemnassent: ad quod vsque tempus, paullò minùs LXXX. annis, in summa rerum prosperitate vixerat. Vitam continent, Plutarchus in Parallelis, & Corn. Nepos qui vulgò Æmilius Probus. 109

Imaginem PINDARI Poëtæ Lyrici non habemus, temporis vetustate abolitam; sed figura tantùm marmorea exstat, velut Lyra cantaturi; eiusque basi insculptum est nomen ΠΙΝΔΑΡΟΣ. 110

ΡΟΣ. Vixit Hieronis Syracusani temporibus, cui valdè carus fuit; in eiusque laudem *Epinicia* complura composuit, ob quæ & alia inter nouem Lyricos principem locum obtinuit. *Alexander* quoque *Magnus* tanti eum fecit, vt dirutis Thebis, quæ illi patria erat, iussu eiusdem Alexandri sola eius domus conseruata fuerit: vt C. Plinius lib. VII. Natur. Histor. cap. 29. refert. Annos vixit LV. eique mortuo Athenienses statuam in templo Martis dedicarunt.

111 Imago PITTACI, qui vnus fuit ex septem sapientibus Græciæ, & Imperator simul fortissimus, ex æneo mediæ magnitudinis numo desumpta est; quem Mytilenæi in memoriam ciuis sui *Pittaci*, & popularis eius *Alcæi* Poëtæ, de quo suprà, cum eorum imaginibus imprimi curarunt. Eiusdem caput in marmore apud Fuluium visitur, paullò minus quàm naturale; & forsan in Museio aliquo, aut Bibliotheca, ornamenti causa collocatum fuit; cùm *Pittaci* nomen per totam Græciam celeberrimum fuerit, eiusque dicta studiosè & velut cum religione quadam obseruari consueuerint. Qua de causa credibile est, Cameum & Corniolam, in quibus eiusdem *Pittaci* effigies spectatur, pro gemmis anularibus fuisse apud eos, qui nominis *Pittaci* studiosiores fuerint. De rebus eius gestis Diogenes Laërtius consuli potest, qui vitam eius describit; similiter alij multi Auctores, qui copiosè singula eius dicta ac facta notarunt.

112 Imago PLATONIS repræsentata est ex gemma sarda, siue Corniola pulcherrima, formę oualis, & insignis artificij; quam abhinc CL. annis Cardinalis Iulianus Cæsarinus, Pontificius in Florentino Concilio legatus, attulit ex Græcia. Est autem comata, & barbata, sicut reliquę Platonis imagines; cùm scribat Ælianus, primam inter Platonem & Aristotelem dissensionem super capillis barbaque fuisse, quòd Aristoteles, contra hoc Platonis institutum & morem, tonderi & radi soleret. Huic imagini perquam similis est illa, quæ in Corniola artificiosissimè incisa conspicitur, quæ fuit olim Prosperi Cardinalis Sanctæ Crucis; quæ præter Platonis imaginem, habet quoque aliam Socratis magistri eius. In Herma, qui capite truncatus est, hæc

leguntur:

leguntur: ΠΛΑΤΩΝ ΑΡΙΣΤΟΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Quæ ipſa Laërtius confirmat, dum eum Athenis patre Ariſtone in vico Collytteo natum ſcribit, anno ſecundo Olympiadis octuageſimæ, Archonte *Aminia*. Exſtat inſuper in marmore, apud Fuluium, eiuſdem Platonis effigies, ſtupendi artificij: cui & alia valde ſimilis, apud eumdem, in Corniola pulcherrima viſitur, quæ Platonem iam ſenem, annos (vt videtur) natum octuaginta & vnum repræſentat, quo tempore ſcriptitans obijt anno primo Olympiadis CVIII. In eadem Corniola non ſolùm lata *Platonis* frons videri poteſt, ob quam *Platonis* nomine, cùm priùs *Ariſtocles* vocatus eſſet, affectus eſt, ſed & lati eius humeri, vnde eum nonnulli nomen ſortitum eſſe à Græca voce volunt. Eidem opus Silanionis egregij ſtatuarij in Academia ſtatua fuit dedicata; & Cicero in Bruto meminit ſtatuæ, quam ipſe habuit, his verbis: *Tum in pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus*, &c.

Imago Q. POMPEII RVFI, qui Conſul fuit cum Sulla anno 113
V. C. DCLXV. ex numo eius argenteo deſumpta eſt: quem veriſimile eſt à quopiam eiuſdem familiæ percuſſum eſſe, & fortaſſis à filio eius *Pompeio Rufo*, cui Cornelia Sullæ filia nuptum data. Sed videtur huic opinioni obſtare, quòd hic Rufus, viuo adhuc patre, & velut in conſpectu eius, in tumultu Sulpicij Tribuni plebis occiſus fuit. Porrò in hoc numiſmate, alijſque, *Q. Pompeius* vnà cum *Sulla* nominatur, quòd hi non in Conſulatu ſolùm, ſed & in Prætura collegæ fuerint.

Imago CN. POMPEII MAGNI, ex anulari gemma iaſpidis, 114
ſiue (vt vulgò dicunt) diaſpri viridis, expreſſa eſt; quæ prorſus ſimilis eſt ei, quæ exſtat in aureo numo, quem Sextus filius eius cudi fecit, cùm in Sicilia eſſet cum imperio maritimo. Sed & alia imago, in anulari gemma, amethyſto artificiosè ſculpto, viſitur; quæ eam Pompeij ætatem refert, cuius fuit ipſe cùm in Hiſpania Proconſule eſſet, omnino ſimilis argenteis eius numis in Hiſpania ipſo Proconſule cuſis. Non hinc alienum fuerit, *Berilli* cuiuſdam, aut aquæ marinę (vt vulgò vocant) mentionem facere, quæ *Pompeio* pro teſſera aut ſigno fuit, in qua

sculptum est *Herculis* caput iuuenile, cum claua, & litteris Græcis sub collo eiusdem, ΓΝΑΙΟΣ, quod Pompeij Magni prænomen est. Formæ est oualis, magnitudinis media paullò maioris, coloris autem & artificij adeò venusti, vt nihil suprà. Scribit Appianus Alexandrinus lib. 2. bellorum Ciuilium, *Pompeium* belli Pharsalici tempore, in tessera militari signum *Herculis inuicti* vsurpasse, sicut è contrario *Cæsar* figuram *Veneris Victricis*. Vnde verosimile videtur, *Pompeium* in anulo quoque suo idem signum gestasse, quamuis pluribus & diuersi generis signis in anulis vsus fuisse legatur; verbi gratia, *leone* ensem ore ferente, qui etiámnum in Corniola antiqua visitur, eiusque Plutarchus meminit: item ternis tropheis, ad exemplum *Sullæ*, quorum mentio est apud Dionem lib. 42. Sed & nullum est dubium, quin effigie sua signare solitus fuerit, quæ fortasse in illo anulo insculpta fuit, quem post obitum eius Theodotus Cæsari donauit, quemque vt recognouit Cæsar, illacrymasse scribitur a Plutarcho. Quin etiam amethysto illo pulcherrimi coloris (cuius paullò suprà fecimus mentionem) videtur velut pro sigillo vsus fuisse, vel ipse *Pompeius*, vel *Sextus* eius filius, cùm in ea anuli quoque vestigia quædam remanserint. Hinc Macrobius scribit, veteres anellis non tantùm ornatus causa, sed pro sigillis vsos fuisse, quod multis Auctorum locis probari potest. Plautus Curcul. *Qui anulo meo tabellas obsignatas dedisset.* &c. Et Trinum. *Si quando obsignatas attulerit epistolas, non arbitraris anuli paterni signum nosse?* &c. Et Liuius lib. 26. anuli eius mentionem facit, quo *M. Marcellus* signauit, & quo *Annibal* potitus est. Et lib. 37. de Polyxenida: *Signoq; suo* (inquit) *impressas tabellas misit*, &c. Sed omnium apertissimè Cicero Tiberianum illud apud Suetonium *(anulo effigiem impressam)* his verbis confirmat Catilinaria tertia: *Tum ostendi tabellas Lentuli, & quæsiui cognosceret ne signum, annuit; est verò* (inquam) *notum quidem signum, imago aui tui clarissimi viri.* &c. Et in Oratione pro Sexto Roscio: *anulumq; dedit, & os suum tibi tradidit*, &c. Valerius Maximus anuli meminit, in quo imago *Scipionis Africani*, quem Censores filio eius, vt indigno & degeneri, ademerunt. Sed nimis longum foret omnia

Scriptorum

Scriptorum loca adducere, in quibus de varijs diuersorum signorum anulis legitur; sicut *Augustum* scribunt Suetonius, Plinius, & Dion, primùm imagine *Sphingis*, deinde *Alexandri Magni*, demùm sua signasse. *Mæcenatem* verò refert Plinius *Rana* signare solitum, quod signum etiámnum in nonnullis gemmis anularibus videre est. *Commodum* Imperatorem Capitolinus *Amazone* signasse scribit: & de *Galba* refert Dion, eum *Canem* capite prono in prora nauis pro signo vsurpasse. Gemma igitur, siue *Berillus*, siue (vt vulgò) aqua marina superiùs descripta, siue illa tessera fuerit, siue anulare signum, prænomen *Pompeij*, pulcherrimis litteris, vt diximus, inscriptum habet. solo autem prænomine *Cnæi* illis temporibus *Pompeius* denotabatur, velut ex multis Ciceronis locis liquet, vbi ponere solet; *Cnæus noster*, non addito nomine, cùm id prænomen satis notum esset, eoque solo *Pompeius* significaretur. Et quamuis in glande quadam plumbea antiqua, quam credibile est Cæsarianos bello Pharsalico in fundis vsurpasse, insculptum sit: FERI POMPAE: nihilominus in Hyacinthi gemma pulcherrima, qua fortassis *Decimus Brutus* signare solitus fuit, ipsius *Bruti* prænomen solum ΑΥΛΟΣ inscriptum est, litteris æquè bellis, atque in illa *Pompeij* gemma; vt suspicari quis possit, eiusdem artificis opus esse ambas. *Bruti* huius prænomen priùs fuit *Decimus*, posteà ab *A. Postumio Albinio* adoptatus, secundùm morem adoptionum, prænomen adoptantis retinuit, & in numis dicitur, A. POSTVMIVS ALBINI F. Gemma hæc reconditæ cuiusdam eruditionis symbolum continet, quod nobis mirificè placet. Habet enim Cupidinem, qui papilionem trunco arboris affigit, quo innuere voluit Brutus, animam suam non aliter Cæsaris amori, quàm papilio iste arbori, affixam fuisse. Veteres enim, vt ex multis antiquorum monumentis constat, animam hominis per papilionem symbolicè denotabant, quòd hoc animalculum sit aëreum leuissimumque in volando, & *anima* secundũ Varronem, sit aër conceptus ore, & quasi ventus: vnde Poëtę *animæ* nomen pro ipso vento vsurpare soleant, velut Horatius:

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Et Virgilius: *Par leuibus ventis:*

tanquam nomen anima à Græco *ἄνεμος*, id eſt *ventus*, deriuatum fuerit; quam Græci *ψυχὴν* vocant, quaſi refrigerationem, ob aërem, quem ſpiramus: vnde *efflari anima* dicitur, cum à corpore ſeparatur. Porrò vt eò redeamus, vnde digreſſi ſumus, ſigna nimirum varia in anulis ſignatorijs fuiſſe vſitata; addamus & hoc, quod de *Auguſto* prodit Suetonius, eum torquis ſignum *Torquatis*, & ſignum crinium *Cincinnatis* ademiſſe, à quibus familiæ iſtæ denominatæ fuerant, quæque in numis ſuis impreſſerant. Exſtat hyacinthus gemma coloris pulcherrimi, in qua Taurus viſitur cornibus ictum minitans: quod *Thoriæ* familiæ ſymbolum (vt videtur) fuit, vt ſe ab hoc animali nomen ſortitos *Thorij* oſtenderent; ſicut & *Porcij*, & multi alij (teſte Varrone) à diuerſis animalibus denominati fuerunt. Porrò idem ſignum Tauri in eadem forma in numis argenteis *L. Thorij Balbi* exſtat, cuius credibile eſt ſigillum fuiſſe hyacinthum illum, cùm in eo nomen *Thorij* diſerte legatur hoc modo: L. THORIVS. de quo in libro Fuluij Vrſini de *Familijs Romanis* plura leguntur, quę videre operæpretium fuerit.

115 Imago POMPEII, qui *Magni* filius, SEXTVS prænominatus fuit, in Cameo viſitur longè maiori artificio ſculpta, quàm in numis eius aureis & argenteis, eo tempore cuſis, cùm ipſe mare Siculum cum ingenti claſſe teneret, atque Auguſto tali rerum ſucceſſu ſe opponeret, vt *Neptuni* filium ſe appellari iuberet; velut Hiſtorici de eo ſcribunt, & Corniola anulari gemma confirmatur, in qua ipſe *Sextus* paludatus viſitur tridentem manu tenens, adſtante equo, oppoſitaque ex altera parte *Siciliæ* figura, quæ ipſum recipit, porrecto ſceptro, ad ſignificandum Inſulæ dominium.

P Imago CN. POMPEII, qui & ipſe filius *Magni*, & *Sexti* frater fuit, ex Corniola pulcherrima deſumpta eſt; perquam ſimilis illi, quæ in numo aureo exſtat, in cuius poſtica parte hæc ipſa *Cnei Pompeij* imago impreſſa eſt. De eo, & de *Sexto*, Hiſtorici pluribus agunt; quos qui volet, conſulere poterit.

116 Imago M. PORCII CATONIS, cognomento *Cenſorij*, ex Cameo

meo

meo desumpta est, gemma anulari, & prorsus similis illi, quæ in Corniola apud Fuluium etiam exstat. Vtraque autem ætatem *Catonis*, quasi LXXXV. aut XC. annorum præ se fert, quos vixisse *Cato* legitur apud Plutarchum. Eiusdem Hermes superest capite truncatus, quem ipsi, velut homini sapienti, quique variarum rerum vsum haberet, Romani fecerunt. De cognomine *Sapientis* Cicero de Senectute, de Amicitia, & alibi meminit, quamuis & eruditionis ergô & litterarum copiæ, quam in scriptis suis ostendit, hanc statuam mereri potuerit: sicut & *M. Varroni*, Togatorum doctissimo, Hermes dicatus fuit eadem forma, qua Græcos Hermas videmus esse factos: idque ex numis eius eo tempore cusis, cùm ipse *Pompeij Magni* bello Piratico Proquæstore esset, colligere licet. In ijs enim dictus Hermes cernitur. Sed ille Catonianus hanc habet inscriptionem: M. PORCIVS. M. F. CATO. CENSORIVS. Et quid si hæc illa ipsa statua, quam Plutarchus scribit Catoni à Romanis in *Hygiæ*, siue *Sanitatis* templo fuisse dedicatam?

Imago POSIDONII Philosophi Stoici, quique Ciceronis 117
præceptor fuit, ex marmore desumpta est, in cuius pectore nomen ΠΟΣΙΔΩΝΙΟΣ insculptum est. De eo Plutarchus scribit, quòd Romæ fuerit; quòd Rhodi, vbi natus erat, (licet Strabo lib. 14. Apamiensem ex Syria fuisse dicat) *Panætio* in schola successerit, vbi & Cicero auditorium eius frequentauit.

Imago A. POSTVMII ALBINI, sic enim dictus fuit *D. Bru-* 118
tus vnus ex coniuratis & percussoribus Cæsaris, (de quo modò in Pompeio Magno diximus) in numo eius argenteo exstat, cum his litteris, ALBINVS BRVTI F. propter adoptionem, qua ex *Iunia* in *Postumiam* familiam transijt. De illo Fuluij liber de *Familijs Romanis* consuli potest.

Imago PRVSIÆ Bithynię Regis, qui cognominatur ΚΥΝΗ- 119
ΓΟΣ, ex numo eius argenteo desumpta est; quę & in alijs numis didrachmis fabrè satis impressa cernitur, nomine adscripto, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΡΟΥΣΙΟΥ. Eamdem & gemmæ nonnullæ anulares exhibent. Eius Polybius, Liuius, reliquique

Scriptores meminere, maiestate & nomine regio indignum eum vocantes, eaque adulatione præditum, vt more eorum qui ex seruitute manumissi erant, capite raso, & pileo capto, legatis Romanis obuiam procedere, seque populi Romani libertum vocare solitus fuerit. Habitus etiam fuit pro homine exiguæ fidei, quòd Annibalem cæso Antiocho profugum, & in clientelam suam receptum, Quinctio Flaminino, qui & ipse hoc nomine non nimis benè audijt, perfidè prodiderit. Liuij de eo verba hæc sunt: *Polybius Prusiam Regem indignum maiestate nominis tanti tradit; pileatum capite raso obuiam ire legatis solitum, libertumq; se* P. R. *ferre, & ideò insignia ordinis eius gerere. Romæ quoque cùm veniret in Curiam, summisisse se, & osculo limen Curiæ contigisse, & Deos seruatores suos Senatum appellasse, aliamq; orationem, non tam honorificam audientibus, quàm sibi deformem habuisse*, &c.

120 Imaginem PTOLEMÆI Ægypti Regis, numus eius argenteus eiusdem cum denario Romano ponderis exhibet, cum litteris Latinis, PTOLOMAIVS REX. Hic *Iubæ* Mauritaniæ Regis & *Cleopatræ* M. Antonij filiæ fuit filius; vnde eum Suetonius C. Caligulæ consobrinum vocat his verbis: *Ptolemæum Regis Iubæ filium, Consobrinum suum: erat enim & is M. Antonij ex Selena filia nepos*, &c. Nam Caius M. Antonij pronepos fuit, natus patre Germanico, Antoniæ Iunioris filio. De *Cleopatra* ista M. Antonij filia superiùs narrauimus; quòd illa *Selenam* siue *Lunam* appellari se iusserit, matris imitatione; quæ *Lunam* & *Isidem* se dici fecit, sicut vicissim *M. Antonius* maritus eius, *Bacchi* & *Osiridis* nomen sibi sumpsit.

121 Imago PTOLEMÆI cognomento APIONIS Cyrenæi Regis, ex Cameo faberrimi operis desumpta est; in cuius vertice planta Silfij insculpta visitur, Cyrenensium symbolum, sicut superiùs, cùm de Arsinoe Regina sermo nobis esset, diximus. Hic moriens anno V. C. DLVII. *Domitio Ahenobarbo* & *Cassio Longino* coss. Populum Romanum testamento heredem fecit, vt Cicero scribit oratione 2. contra Rullum, & alij plures.

Imago

Imago PTOLEMÆI cognomento SOTERIS, in numo argenteo tetradrachmo exstat, cum hac inscriptione: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. Hic legitur filius fuisse *Ptolemæi Lagi*, vnius ex Alexandri Magni Ducibus, à quo omnes deinceps *Ptolemæi* nominati fuerunt. Eius vxor *Berenice* fuit, de qua Callimachus elegiam illam tantopere celebratam, & Latine à Catullo conuersam, composuit. Ex his natus est *Ptolemæus Philadelphus*, ad quem scribit *Theocritus* Idyll. XVII. vtrique horum, vt apparet, gratus. 122

Imaginem PYRRHI Epirotarum Regis, in orbe argenteo antiquitus tornato videre licet, vt appareat, in Musęo quopiam ornamenti causa collocatam fuisse: multumque hæc similis est reliquis *Pyrrhi* imaginibus, quæ tam in marmore, quàm in numis argenteis æneisque visuntur. Vitam eius Plutarchus describit, neque vllus est rerum Romanarum scriptor, qui mentionem eius non faciat. In marmoribus Capitolinis triumphus Manij Curij, de Samnitibus & Rege *Pyrrho* actus anno V. C. CDLXXVIII., descriptus est. 123

Imago PYTHAGORÆ Samij in numis æneis exstat, impressa à Samijs ad conseruandam ciuis sui memoriam. Similis autem est imagini illi, quam gemmæ nonnullæ anulares exhibent, quas Pythagorici alicuius fuisse verosimile est. Sed similior est reliquis illa, quę in gemma (quam *Niccolum* vocant Itali) insculpta, penes Fuluium exstat. Sed & alia apud eumdem in numo à Samijs cuso visitur, differtque ab imagine quam hoc libro repræsentamus, quòd manu dextra radium teneat, eoque stellam Veneris in sphęra sculptam tangat, sinistra virgam habeat, illam nempe denotans, qua Pythagoras stellarum distantiam dimensus fuisse legitur. Plinius lib. 2. cap. 8. numo huic multum lucis affert his verbis: *Infra solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præueniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt sol alter diē maturans: contrà ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, vt prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit* 124

deprehendit olympiade circiter XIII. *qui fuit vrbis Romæ annus* CXXVI. & cap. XXI. *Pythagoras vir ſagacis animi à terra ad Lunam* CXXVI. *millia ſtadiorum eſſe colligit; ab eaq́; ad ſolem duplum: inde ad duodecim ſigna triplicatum*, &c. *Idem ſentit Sulpicius Gallus*, &c. Legitur *Pythagoras* Samo profectus, ne patriam tyrannide *Polycratis* oppreſſam videre cogeretur, in Græciam Magnam veniſſe, ibique ſcholam publicam aperuiſſe, & anno demùm ætatis LXXX. aut XC. Metaponti obijſſe.

125 Imaginem PYTHEI Poëtę Colophonij numus exhibet, quem in memoriam eius ciues ſui percuſſerunt: in cuius poſtica parte Muſa cum muſico inſtrumento impreſſa viſitur, quo ſignificare voluerunt Colophonij hunc ciuem ſuum Poëtam egregium fuiſſe. Habuerunt autem Colophonij complures alios poëtica laude inſignes, inter quos *Mimnermus* Elegiographus numeratur, itemque *Homerus*, cuius natiuitatem ipſi quoque *Colophonij* ſibi vindicabant, quòd eum apud illos educatum crederent.

126 Imago T. QVINCTII FLAMININI in Corniola exſtat inſculpta, quam quiſpiam familiæ *Quinctiæ* anulo incluſam geſtauit. Plutarchus in huius *Quinctij* vita ſtatuæ æneæ meminit, quæ ipſi è regione Circi Maximi dedicata ſteterit cum Græca inſcriptione: ad cuius ſimilitudinem, hanc ipſam quæ Corniola exhibet, factam fuiſſe veriſimile videtur. Inſcriptio autem ſtatuæ cuiuſmodi fuerit, Plutarchus non dicit: cùm autem Græcam fuiſſe ſcribat, exiſtimari poteſt, eam ſtatuam à Græcis factam, qui mirificè memoriæ *Quinctij* ſtudioſi erant. Et non eſt abſurdum addere, eandem fuiſſe illam inſcriptionem cum ea quæ in Corniola litteris compendioſè ſcriptis viſitur, hoc modo: T. Φ. Θ. quæ notæ ita interpretantur: ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΜΙΝΙΝΟΣ ΘΕΟΣ: quod Latini feciſſent, DIVVS TITVS FLAMININVS. cùm Plutarchus ſcribat, apud omnes Gręcos honoratiſſimam fuiſſe *Quinctij* memoriam (quippe qui Gręciam liberarat) præter cæteros autem Chalcidenſes templum ei ſtatuiſſe, & ſacerdotem feciſſe, velut homini in Deorum numerum per apotheoſin relato: qua de re plura Plutarchus, & nos infrà in *Tullio Cicerone*.

Imago

Imago ROMVLI primi Romanorum Regis, ex numo argenteo desumpta est; in cuius antica parte nomen QVIRINVS est impressum, quod Romuli nomen fuit à *Curi* Sabinorum ciuitate, post pacem cum Tatio Sabinorum Rege factam. Eadem effigies in numo minusculo æneo reperitur similiter coronata, inque postica eius parte *Lupa* cum *Romulo* & *Remo* visitur; cuius *Lupæ* Dionysius Halicarnas. lib. I. meminit, eam *æneam* fuisse dicens, vt credibile sit hanc illam ipsam esse, quæ hodie conspicitur in Capitolio. Plutarchus in vita *Romuli* statuam eius nominat, vt Plinius cap. 6. lib. 34. itemque Dion lib. 43. ex qua, imaginem in hoc numo impressam, repræsentatam fuisse suspicio est. 127

Imaginem SALLVSTII CRISPI numus æneus grandiusculus exhibet (cuiusmodi numos vulgò *contorniatos* vocant) cum inscriptione ista: SALVSTIVS AVCTOR. vbi *Auctoris* verbum aliter quàm ab ipso *Sallustio* vsurpatur, cùm ipse inter *Auctores rerum* & *Scriptores* discrimen faciat. Porrò SALLVSTIVS in numo isto vnico L. scribitur, cùm eam litteram geminarint inscriptiones sæculo eius factæ, præsertim illa, in qua seruus eius *Eros* nominatur, quæ est huiusmodi: EROTI C. SALLVSTI. CRISPI. SERVO METELLIANO. itemque altera hęc: ÆDITVI VENERIS HORTORVM SALLVSTIANORVM. qui horti prope Collinam portam erant, à Nerone, vt Tacitus refert, frequentati; quorum etiam vestigia hodie apparent. Est autem numus hic (velut ex litterarum forma, & verbo illo AVCTOR, colligas) multò post Sallustij æuum cusus; & fortasse tunc, cùm aliorum quoque illustrium virorum numi eadem forma percussi sunt. 128

Imago SAPPHVS Poëtriæ, quæ non solùm inter nouem feminas poëtica laude illustres, sed inter nouem quoque Lyricos numerari solet, exstat in maiusculo numo argenteo, in memoriam nominis eius à Mytilenensibus cuso: à quibus ęneum quoque numum cum effigie *Alcæi*, huius *Sapphûs* æqualis & popularis, cusum superiùs diximus. Eadem autem *Sapphûs* imago, in Cameo faberrimè facto apud Vrsinum spectatur; itemque 129

in alia gemma: cuius vtriusque hoc discrimen est, quòd vnius caput lauro, alterius hedera coronatum sit, secundùm Horatianum illud:

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis. &c.

Cicero in Verrinis statuæ eius meminit, & Pausanias scribit Athenis iuxta Anacreontis imaginem stetisse *Sapphûs* effigiem, à Leone, vt Plinius refert, insigni artifice factam. Tatianus etiam in libro contra Gentiles *Sapphûs* statuam à Silanione factam celebrat, vnde delineari potuit imago illa in numo Mytilenæo expressa. De vita & morte eius, alijsque rebus, quà Græci, quà Latini scriptores copiosè scribunt. Sed Ouidius in epistola *Sapphûs* ad Phaonem multa exhibet, quæ me impellunt, vt eam totam epistolam ex poëmatis eius desumptam esse existimem; cùm similia multa in fragmentis exstent, quæ olim collecta à Fuluio Vrsino Plantinianis typis prodierunt.

130 Imago SELEVCI primi Syriæ Regis, ex numo eius argenteo tetradrachmo desumpta est, in quo hæc leguntur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΩΡΟΣ. Fuit vnus ex *Alexandri Magni* Ducibus, eiusque copiosam Historici mentionem faciunt.

131 Imago L. ANN. SENECÆ Philosophi Stoici, & Magistri Neronis Imperatoris, ex marmore repræsentata est; Philosophum sine tamen pallio referens, cæterisque eius imaginibus, quę exstant, perquam similis, vt omnes ex vno eodem archetypo desumptæ videantur. Quòd autem ista sit *Senecæ* imago, ex numo æneo grandiusculo (*contorniatum* vulgò dicunt) intelligitur, quem olim Bernardinus Cardinalis Maffæus habebat, cum nomine inscripto, SENECA. Porrò ætatem Senecæ senilem prę se fert, in qua à Nerone mori iussus est. De vita, morte, rebusque eius gestis, copiosè Cornelius Tacitus, & Dion (quamuis hic parum bonâ, sed Græculâ fide) meminere.

132 Imago C. SERVILII AHALÆ ex numo desumpta est argenteo, cuius pars anterior *L. Iunij Bruti*, qui vrbis liberator fuit,

fuit, effigiem exhibet; vt videri possit is numus à *M. Bruto* Cæsaris percussore cusus, quòd constet eum Seruilio propinquum fuisse, quippe cuius mater ex Seruilia familia fuerit. Cicero lib. 2. Philipp. imaginum meminit *C. Seruilij Ahalæ*, & *L. Iunij Bruti*, quę in Capitolio exstabat. Vnde credibile est, imaginem aliam, cùm ex ære sit, esse eam ipsam, quam Cicero describit: cùm eiusdem sit magnitudinis & artificij, cuius illa *Bruti*, quæ hodie in Capitolio cernitur. Seruilij his verbis Cicero meminit: *Siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato, nuntiatum est eum Dictatorem esse dictum, cuius Dictatoris iussu Mag. eq. C. Seruilius Ahala Sp. Melium regnum appetentem interemit.* &c.

Imago SOCRATIS priori loco posita, in numo æneo grandiusculo (Italicè *contorniato*) exstat; in cuius antica parte 133
nomen exprimitur, ΣΩΚΡΑΤΗΣ. cui imagini similis est 134
quæ sequitur, ex marmore, quod penes Cardinalem Farnesium est, sculpta: itemque quæ apud Fuluium visitur in Herme, cui inscriptum est *Socratis* nomen, vnà cum litteris hisce ex Platone desumptis: ΕΓΩ ΟΥ ΝΥΝ ΠΡΩΤΟΝ ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΑΕΙ, ΤΟΙΟΥΤΟΣ ΟΙΟΣ ΤΩΝ ΕΜΩΝ ΜΗΔΕΝΙ ΑΛΛΩΙ ΠΕΙΘΕΣΘΑΙ ΗΤΩΙ ΛΟΓΩΙ ΟΣ ΑΝ ΜΟΙ ΛΟΓΙΖΟΜΕΝΩΙ ΒΕΛΤΙΣΤΟΣ ΦΑΙΝΗΤΑΙ. Exstat insuper apud eumdem Fuluium, vnà cum effigie Platonis eius discipuli, in Corniola anulari gemma artificiosissimè incisa, quam credibile est à quopiam vtriusque studioso gestatam fuisse. Mirificè autem hæc gemma formam eam *Socratis* exprimit, quam ei Plato & Xenophon in Symposio attribuunt, quòd nimirum *Sileno similis* fuerit, naso simo, & oculis emissitijs. Natus est Socrates Athenis quarto LXXVII. Olympiadis anno, & Delphico oraculo sapientissimus declaratus, quòd philosophiæ partem eam, quæ est de moribus, & re familiari, siue Oeconomica, primus excoluerit, versu illo Homeri inductus: Ὅττι μοι ἐν μεγάροισι κακόν ἀγαθόντε γένηται. &c. Scribitque Cicero de illo: *Primusq́ philosophiam deuocauit è Cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & moribus, rebusq́ bonis &*

malis quærere. &c. Denique & tabella marmorea penes Vrſinum eſt, in qua Socrates manu ſchedulam tenet; & fortè eam ipſam, quam ille, vt Xenophon ſcribit, vnà cum Critobulo legebat: cùm alioquin *Socrates* (vt ait Cicero) *litteram ipſe nullam reliquerit*; ſed eius ingenium, varioſque ſermones, immortalitati ſcriptis ſuis mandauerit Plato. Obijt primo anno XCV. Olympiadis, ætatis verò LXX. cùm extremo vitæ die, antequam cicutę ſuccum biberet, cum Principibus ſectarum, à quibus in carcere viſitabatur, de *immortalitate animorum* omnia ea diſputaſſet, quæ Plato in Phædone recenſet.

135 Imago SOLONIS vnius de ſeptem Græcię ſapientibus, nati in Salamine, in gemma anulari *Sardonio* vulgò dicta exſtat; quę cælata eſt faberrimè; & inſcriptum habet nomen ΣΟΛΩΝΟΣ. Exprimit ætatem eius annorum LXXX. quot ipſe vixit. Eadem autem imago viſitur & in Cameo veteri Hermæ forma, & in marmore quodam, in quo nonnihil furor ille Solonis videtur expreſſus, quem bono Reip. Atticę, ſimulque ſecuritatis ſuæ cauſa, ſimulaſſe legitur. Vixit Athenis tempore Piſiſtrati Tyranni, cùm Romæ Seruius Tullius Rex rerum potiretur. Obijt in Cypro, cùm prius in Cilicia Solenſi ciuitate condita (quam ſic ab ipſo denominatam, poſtea *Pompeiopolim* dixêre) æternam ſui memoriam reliquiſſet, & ob leges, quas Athenienſibus tulit, ſummi nomen legiſlatoris conſecutus eſſet.

136 Imago SOPHOCLIS, quam hoc libro exhibemus, in diſco ſeu orbe marmoreo exſtat, cuius in gyro inſcriptum eſt nomen, ΣΟΦΟΚΛΗΣ. Huic orbi oppoſitus erat alter ille, in quo Menandri Comici effigiem exſtare ſuperiùs diximus. Alia verò eiuſdem imago in marmore ſculpta penes Fuluium viſitur; cui caput etiam Menandri coniunctum eſt, quòd alter Tragœdiæ, alter Comœdię princeps fuerit. Sunt autem ambæ iſtæ imagines æquales naturalibus hominum capitibus. Alia rurſum effigies in anulari gemma Corniola apud eumdem Fuluiũ reperitur, & ætatem *Sophoclis* ſenilem videtur exprimere, quæ fuit XCV. annorum: quibus exactis mortuus eſt, faucibus eius

acino

acino vuæ interclusis. Pausanias scribit Athenienses statuam palliatam ei dedicasse, fortasse similem illi quæ erat in theatro, vt honorem haberent ciui suo, nato in Atticæ Colono, & celebri vigintitribus, quas composuit, tragœdijs, functoque Prætura Athenis, vnà cum Pericle, septemdecim ante Socratem annis.

SPEVSIPPI, qui Platoni in Academia successit, Hermes tantùm exstat, cum litteris quadratis, ΣΠΕΥΣΙΠΠΟΣ ΕΥ- 137
ΡΥΜΕΔΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ. Eius caput temporum vetustas nobis aboluit. Hunc scribit Cicero à Platone auunculo philosophiæ velut heredem relictum esse, quam octo annis publicè professus est; & scripta, ac dialogos complures reliquit, quos Aristotelem tribus talentis emisse scribit Laërtius. Obijt morte voluntaria valdè senex.

Imago SERVII SVLPICII RVFI Iurisconsulti clarissimi, ex 138
numo argenteo desumpta est; in quo duo eius prenomina leguntur, *Lucius*, & *Seruius*, more familiæ Sulpiciȩ. Eadem imago in antiqua etiam Corniola reperitur, illi perquam similis, quam diximus exstare in numis argenteis ab aliquo de familia cusis. Ciceronis ȩqualis fuit, eiusque multæ ad Ciceronem, & illius vicissim ad hunc litteræ mutuæ leguntur. Quo tempore M. Antonius Mutinȩ D. Brutum obsedit, à senatu legatus ad eum missus est, vt cum eo de pace transigeret. In ea legatione mortuus, à Cicerone honoratus fuit nobilissimo s. c. quod in Philippica IX. legitur. Statua quoque ȩnea pedestris Romȩ ei fuit posita, quam in Rostris Augusti Pomponius in libro *De origine Iuris* sua ætate stetisse scribit.

Imago TATII Sabinorum Regis, in gemino numo argen- 139
teo reperitur; quorum alterum familia *Tituria*, alterum *Vettia* percusserunt: quæ familiæ quòd à raptis Sabinis genus deducerent, memoriæ ergô, *Tatij* Regis Sabinorum imaginem numis impresserunt. Porrò imago hȩc satis exprimit decantatam illam tetricorum Sabinorum austeritatem: & verosimile est eam ex statua illa expressam esse, quæ in Capitolio vnà cum

ſeptem Regum ſtatuis ſteterit, cùm aliquamdiu *Tatius* ex pacto cum Romulo regnarit, velut Romanarum rerum Scriptores produnt.

140 Imago P. TERENTII AFRI Comici Poëtæ, qui ſeruus fuit Romæ, ac poſtea libertus *C. Terentij Lucani* Senatoris, ex antiquiſſimo quodam *Terentij* exemplari deſumpta eſt, quod in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, in membranis ſcriptum. Cui ſimilis altera imago in altero quodam minùs antiquo libro viſitur; vt credibile ſit, vtramque ex archetypo quopiam naturali expreſſam eſſe. Idque vt credam faciliùs, facit, quòd de Terentio legimus, eum fuiſſe colore fuſco, corpore gracili, & ſtatura mediocri. Vixit tempore *Scipionis Africani* Minoris, cum quo & *Lælio* coniunctiſſimè vixit, à quibus etiam adiutus fuiſſe creditur in Comœdijs *Menandri* & *Apollodori* Latinè conuertendis. Q. Conſentius ſcribit *Terentium* ex Græcia redeuntem, Stymphali, quæ Arcadiæ eſt ciuitas, obijſſe ex dolore; quem, centum & octo Comœdijs in mari perditis, conceperat.

141 Imago THEMISTOCLIS Athenienſis ex Corniola anulari gemma deſumpta eſt, in qua & nomen legitur hoc modo: ΘΕΜΙΣΤ. Eſt autem imberbis, ſicut & illa *Solonis* pro conſuetudine ſæculi, quo vixit, olympiade nimirum LXXV. paullò poſt exactos Romę Reges. Similis eiuſdem effigies, in Cameo anulari gemma artificiosè cælata, apud Fuluium ſpectatur. Itemque ſtatua in Hermę forma exſtat, quam ipſi Athenienſes ſtatuerunt, quòd claſſe apud Salaminem victor Græciam à Perſarum ſeruitute liberaſſet; ſed temporum iniuria capite truncata eſt, inſcriptione tamen ſuperſtite, ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΝΕΟΚΛΕΟΥΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ Alteram *Themiſtocles* in Foro Magnetium ſtatuam habuit, vbi etiam mortuus ac ſepultus fuiſſe legitur. Vir fuit incredibilis memoriæ, quique omnium ſuorum ciuium nomina meminiſſet, velut Cicero ſcribit, qui eum mirificè laudat, quamuis res eius geſtas vberiùs deſcribant Thucydides & Plutarchus.

Imago

Imago THEOCRITI Poëtæ Syracuſani, quem Virgilius in Bucolicis eſt imitatus, in orbe ſeu diſco marmoreo exſtat, folijs pineis coronata, cùm pinus arbor *Pani*, velut Bucolici poëmatis præſidi Deo dicata eſſet. Vixit temporibus Ptolemæorum, Lagi, & Philadelphi, qui eum carum habuerunt, vt ex verſibus ipſius Theocriti intelligitur. Et quamuis eodem ſæculo *Moſchus* & *Bion* itidem Syracuſani eodem poëmatis genere claruerint, nihilominus hic primas ſemper tenuit; ex quo credibile eſt, hanc ipſius eſſe imaginem. Vita eius partim ex ſcriptis ipſius colligitur, partim ex commentatoribus ſiue ſcholiaſtis Græcis; quibus adiungi poteſt illud Ouidij carmen de mortis eius genere, in Ibin: 142

Vtq; Syracoſio præſtricta fauce Poëtæ,
Sic animæ laqueo ſit via clauſa tuæ.

Imago THEOPHRASTI *Ariſtotelis* diſcipuli, ex Herma eius marmoreo deſumpta eſt, in quo legitur: ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΣ ΜΕΛΑΝΤΑ ΕΡΕΣΙΟΣ. Et quãuis Ereſi natus ſit, Athenis tamen ſemper vixit, Atticumque ſermonem ea ſuauitate pronuntiauit, vt cùm priùs *Tyrtamus* diceretur, à diuinitate loquendi, (vt ait Cicero) *Theophraſti* nomen acceperit: quamuis idem Cicero ſcribat, eum diutino iſto Atticè loquendi vſu nequaquam tamen potuiſſe omnino idioma vernaculum diſſimulare, ne à vetula pro hoſpite ac peregrino haberetur. Porrò hæc eius imago, ob capilli & barbæ tonſuram, perquam ſimilis eſt Ariſtotelis imagini eius magiſtri, cui olympiade CXIV. in ſchola ſucceſſit, tanta nominis celebritate, vt plus dúo nobilium auditorum millia haberet. 143

Imago THVCYDIDIS Hiſtorici Athenienſis ex marmoreo Herma repræſentata eſt, in cuius pectore nomen eſt ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ. Vixit tempore Periclis circa Olympiadem LXXXVII. quo ipſe tempore belli Peloponeſiaci hiſtoriam octo libris complexus edidit, quos *Demoſthenes* vt menti penitiùs infigeret, octies deſcripſiſſe legitur. Prudens ſcriptor eſt habitus, & veritatis, ſi quiſpiam, obſeruantiſſimus; eoque nomine à Scriptoribus Græcis, & Latinis, maximè verò à Cicerone pluribus locis 144

cis

cis valdè commendatur. Scribunt eum ex linea paterna ab *Oloro* Thraciæ Rege deſcendiſſe, ex materna verò à *Miltiade* Cimonis filio: & propterea Athenis in monumento *Cimonio* ſepultus fuiſſe traditur prope portas, cum hac inſcriptione: ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ ΟΛΟΡΟΥ ΑΛΙΜΟΥΣΙΟΣ ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ. hoc eſt, *Thucydides Olori filius Halimuſius hic ſitus eſt.* Eius imago in ſchola Conſtantinopolitana à Chriſtodulo Poëta celebratur, & exſtat hodie in Corniola artificioſiſſimè cælata.

145 Imago Tmoli Herois, qui monti nomen à ſe fecit vini vbertate decantato, vnde & hæc effigies pampino coronata viſitur, ex numo mediæ magnitudinis deſumpta eſt, quem Sardiani percuſſerunt; vt veriſimile ſit eos tum montem hunc poſſediſſe, & in memoriam Herois, qui monti ipſi nomen dederat, effigiem eius numis impreſſiſſe. Vtriuſque, & montis, & Herois, Virgilius meminit lib. 2. Georgic. vbi de vini fertilitate loquitur:

Tmolus & aſſurgit quibus & Rex ipſe Phaneus, &c.

Q Imago Tomi Herois, qui vrbem nominis eiuſdem condidit, in numo æneo exſtat à *Tomitanis* percuſſo: in cuius antica parte eſt eius effigies, cum eiuſdem nomine, ΤΟΜΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ; in poſtica *Herculem* Tutelarem ſuum Deum poſuerunt, & litteras, ΤΟΜΕΙΤΩΝ: quod valde facit ad confirmanda ea, quæ Stephanus ſcribit in voce τόμοι; quamuis in alijs numiſmatis ΤΟΜΕΩΝ, non ΤΟΜΕΙΤΩΝ legatur.

R Imago M. Tullii Ciceronis exſtat in æneo mediæ magnitudinis numo, quem Magnetes percuſſerunt, qui erant ad montem Sipylum Aſiæ minoris, repræſentantem annum ætatis Ciceronis, vt apparet, XLVI. aut XLVII. cùm *Quinctus* eius frater prouinciam iſtam Prætor obtineret. Nec enim tempore Conſulatus Ciceronis cuſus videri debet propter coronam, quæ ipſi aliquanto pòſt conceſſa fuit, & in poſtica numi parte viſitur. Qui ſanè numus multo minùs videtur cuſus, quando Cicero Ciliciæ præfuit, quæ pars eſt iſtius Aſiæ: nam *Proconſule* titulus

titulus appositus fuisset, aut saltem *Imperatoris*, vtrumque enim titulum, vt constat, obtinuit. Est igitur cusum numisma à Magnetibus sub Quincti fratris imperio, sub quo omnes Asiani complura maximaque beneficia à Cicerone acceperunt, ob quæ multos ei honores decreuerunt. Dicit ipse Cicero hos honores ab Asianis fuisse sibi decretos, vt eius verbis vtar ad Q. fratrem scribentis: *Pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficijs*, &c. Isti honores fuerunt statuæ, templa, quadrigæ, & similia. Addit insuper Macrobius lib. 1. Saturnal. quod cùm Cicero Asiam Minorem pertrásiret, cuius imperio *Quinctus* frater iam defunctus fuerat, *Quinctiq;* imaginem ab Asiaticis dicatam videret, clypeatam scilicet, & vt ipsius verbis vtar, ingentibus lineamentis vsque ad pectus ex more pictam (erat enim *Quinctus* staturæ paruæ) dixerit: *Frater meus dimidius maior est, quàm totus.* Ex quibus verbis colligitur, non *Ciceroni* solùm, sed etiam *Quincto* fratri ab Asianis honores decretos, velut ipse *Cicero* satis disertim indicat in litteris ad Q. fratrem. Vnde nemini mirum videri debet, quòd Magnetes eiusdem Prouinciæ populi, Ciceroni antiqua clientela deuincti, in honorem eius numum cudi fecerint; cùm is honos viris benemeritis, & ciuitatum patronis, deferri soleret. Porrò numus iste in antica parte effigiem *Ciceronis* habet, cum inscriptione in ambitu: ΜΑΡΚΟΣ ΤΥΛΛΙΟΣ ΚΙΚΕΡΩΝ. hoc est, M. TVLLIVS CICERO, more Græcorum prænomine integrè expresso. Nasus eius est subaquilinus, & os nonnihil crassiusculum, quod risum & hilaritatem præ se fert, vt Plutarchus de eo scribit, & Cicero ipse subindicat epistola ad Dolabellam: *Sed tamen* (inquit) *hilaritas illa nostra, & suauitas, quæ te præter ceteros delectabat*, &c. Collum habet gracile, & longum, conuenienter ijs quæ de se ipso scribit in Bruto, dicens: *Erat eo tempore in nobis summa gracilitas, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum*, &c. quamuis ætate prouectior (vt ipse testatur) corpulentus, & robustus magis factus sit: quod & caput eius marmore sculptum inprimis ostendit; illud ipsum inquam caput, quod Cyriacus Matthæius in hortis suis Cœlianis asseruat, & nos hoc ipso libro repræsentamus: valdè conueniens cum antiqua 146

gemma Corniola, quæ apud Fuluium visitur, singularis artificij: quæ & ipsa, vt caput supradictum, senilem ætatem Ciceronis repræsentat, assentiente tum Plutarcho, tum etiam ipso Cicerone. Neque credi aliter potest de eo qui annos natus LXII. virginem duxerit secundam vxorem; quique sexaginta & quattuor annos habens, paullò minùs XIII. miliaribus pedes ambulando confecerit. Collum habet cum iugulo satis eminenti. Capillitium simile reliquis eius temporis imaginibus, & sine caluitio exhibet, tametsi statæ iam & grandioris ætatis, vt ex signis quibusdam & lineamentis conijci potest, in facie apparentibus: id quod ostendit numisma anno potiùs ætatis eius XLVI. aut sequenti cusum esse, quando, vt diximus, *Quinctus* frater Asiam Prætor obtinebat, quàm tempore illo, quo Cicero Proconsule erat Ciliciæ, anno nimirùm ætatis suæ LVI. Postica numi pars istas in ambitu litteras habet, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ, hoc est, *Magnetum ab Sipylo*: & intra ambitum manus est, coronam pugno tenens; item ramum oliui, spicam triticeam, & palmitem vitis cum racemo, ac nomen ΘΕΟΔΩΡΟΥ, quod verisimile est esse Monetarij. Porrò omnia ista symbola ad Ciceronem manifestè spectant. nam coronæ signum eam denotat, quæ ipsi post Catilinariam coniurationem decreta est; nisi potiùs eam lauream innuit, quam ipse ob res in Cilicia feliciter gestas prætendebat, de quibus ita scribit: *Res dignæ triumpho*, &c. quem facile obtinuisset, nisi reditus eius in tempora Ciuilis belli inter Pompeium & Cæsarem incidisset. Sed hoc nobis minùs probatur ob rationes superiùs expositas. Iam ramus oliui ad pacem Prouinciæ respicit, de qua ipse scribit in epistola ad Q. Fratrem his verbis: *Sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem tota Prouincia constitutam*, &c. Spicam illam ad regionis vbertatem frumentique copiam referri debere, idem Cicero in epistola vltima ad Tit. Atticum sic docet; *Nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perfeci, vt Græci, & ciues Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum pollicerentur populis, vt etiam fames mihi optanda fuerit*, &c. Nihil verò aliud *racemus*

vuæ,

uæ, quàm Prouinciæ lætitiam denotat; id quod Poëta testatur illo versu: *Adsit lætitiæ Bacchus dator*, &c. & ipse Cicero in sua ad Q. fratrem epistola satis hoc declarat: *Perfice*, inquit, *vt lætitia Prouinciæ desiderium nostrum leniatur*, &c. & in epistola 1. lib. 6. quam scribit ad T. Atticum: *Græci verò exultant, quòd se* ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ *adeptos putant*, &c. Clariùs verò in epistola III. libri VI. ad eundem T. Atticum: *Ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde leuatæ sunt, vt omnes suis legibus & iudicijs vsæ*, ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ *adeptæ reuixerint*, &c. Hæc ΑΥΤΟΝΟΜΙΑ erat libertas ea, qua proprijs legibus & statutis viuere illis concedebatur, imò ab omni alia iurisdictione externa eximebantur: quæ libertas in numis Græcis exprimitur hoc verbo ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ; cui & hæc in alijs numismatis adduntur, ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, id est, *sacræ & inuiolabilis*. Quod satis confirmat præclarum illud *Titi Flaminini* edictum post victoriam contra Philippum Macedoniæ Regem adeptam, quo, teste Polybio, Græciæ ciuitatibus, vt ab onere tributorum soluendorum immunes essent, suisque vterentur legibus, concessum fuit; inter quas hæc *Magnetium*, vt Strabo, Liuius, alijque Historici testantur, comprehendebatur. Hæc non solùm tempore Proconsulatus *Ciceronis*, sed etiam Præturæ Q. fratris, qui hanc ipsam prouinciam eo titulo administrauit, acciderunt. Itaque honores quoque ex rebus benè gestis vtrique fuerunt communes, quod in eadem epistola *Cicero* his verbis ostendit: *Monimentumq; nostrum*, &c. Loquens de fano ab Asiæ populis sibi dedicato. Vnde non est dubitandum, quin hic numus à Magnetibus ad Sypilum, Prætore Q. fratre singulari aliquo beneficio à *Cicerone* affectis, cusus fuerit: eo exemplo, quo Chalcidenses, vt Plutarchus scribit, Tito Flaminino non solùm templum ædificari curarunt, sed insuper sacerdotem ei decreuerunt, cùm illum in numerum Deorum retulissent. Quod perspicuum est ex gemma etiam Corniola, in qua *T. Flaminini* inter Diuos relati caput cum inscriptione Græca conspicitur, Τ. Φ. Θ. id est, ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΜΙΝΙΝΟΣ ΘΕΟΣ: Latinè, DIVVS TITVS FLAMININVS.

Horum igitur *Magnetium* Cicero epistola x. lib. 2. ad Q. fratrem meminit, ita scribens: *De te à Magnetibus ab Sypilo honorifica facta mentio, cùm dicerent, te vnum postulationi Sexti Pansæ restitisse*, &c. Quæ verba satis summam eius populi beneuolentiam in Ciceronem & Q. fratrem indicant. Cornelius etiam Tacitus, & Plinius Secundus, *ab Sipylo Magnetas* nominant, vt in numo ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ, id est, *ab Sipylo*, pro quo Strabo eos appellat ΜΑΓΝΗΤΑΣ ΥΠΟ ΣΙΠΥΛΩΙ, id est, *sub Sipylo*. Et Ptolemæus ΜΑΓΝΗΤΑΣ ΠΡΟΣ ΣΙΠΥΛΩΙ, id est, *ad Sipylum*. Addo alium locum Liuij, qui libro 37. de Antiocho ita dicit: *Qui circa Magnesiam, quæ est ad Sipylum, posuit castra*, &c. Quæ scriptorum varietas notanda est, ob variam loquendi formam, non quòd inter eos de hoc populo vlla reperiatur discrepantia. Huic enim ciuitati, quæ sub pede montis Sipyli sita erat, ad indicandam differentiam alterius, quæ eiusdem nominis ad flumen Mæandrum non procul ab hac posita erat, hæc verba ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ addita sunt. Beneficium illud quale fuerit, quo Magnetes à Cicerone affecti sunt, nescitur: singulare id fuisse extra omne dubium est, cùm eius beneficij perpetuam hanc memoriam apud omnes exstare voluerint, prȩter alia monimenta illi ab Asianis decreta, nimirum *templa, statuas, quadrigas*, aliaque, quæ Cicero modestè repudiauit, ita enim epistola 1. lib. 1. ad Q. fratrem scribit: *Quod cùm ad templum, monimentumq́; nostrum, ciuitates pecunias decreuissent; cumq́; id & pro magnis meis meritis, & pro tuis maximis beneficijs, summa sua voluntate fecissent: nominatimq́; lex exciperet, vt ad templum monimentumq́; capere liceret; cumq́; id, quod dabatur, non esset interiturum, sed in ornamentis templi futurum, vt non mihi potiùs, quàm Pop. Romano, ac Dijs immortalibus datum videretur, tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant voluntas, accipiendum non putaui, cùm alijs de caussis, tum etiam, vt animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur, nec liceret*, &c. De ijsdem honoribus ab eodem in epistola vltima lib. 5. ad T. Atticum fit mentio his verbis: *Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum*

decerni ſino; ſtatuas, fana, τέθριππα prohibeo. &c. Ad quos quidem honores ſummo ſtudio tota Aſia pecuniam conferebat, non tantùm eo tempore, quo *Cicero* Proconſule Ciliciam Aſiæ regionem adminiſtrabat, ſed & illo ipſo, quo Q. frater Prætura fungebatur. Quantum autem *Cicero* Græcos amauerit, ex eo facilè conſtat, quòd ſeipſum ΦΙΛΕΛΛΗΝΑ, hoc eſt amicum Græcorum, ſæpè appellat; nec verbis ſolùm, ſed re ipſa talem ſe præſtitit, vt ex libris eius ſuperſtitibus videre eſt. *Magnetes* igitur tot, tantorumque beneficiorum in eam Prouinciam, tum maximè in ſe à *Cicerone* collatorum non immemores, gratitudinem ſuam hoc numo æneo, Chalcidenſium exemplo, teſtatam voluerunt: qui ſanè in honorando benefactore ſuo, alios Græciæ populos imitati ſunt, velut complures alij ænei huiuſmodi mediæ magnitudinis numi teſtes ſunt; cum quibus conueniunt plurima & Latinorum & Græcorum Scriptorum teſtimonia, & cum primis Ariſtotelis, qui *Parios Archilochum*, quamuis maledicum, & vt ipſe loquitur, *καὶ περ' ὄντα βλάσφημον*, honoris ergô in numis exprimi curaſſe ſcribit. Quod quidem non ipſis ſolùm Græcis eorum Rep. florente facere licitum, ſed etiam ſub Romano imperio conceſſum fuit. Obiter hoc adijciemus, triginta & plus abhinc annis numiſma prorſus huic ſimile, & ab eodem Monetario cuſum in agro Romano erutum eſſe, ſed ita ærugine conſumptum & deformatum, vt vix, ac ne vix quidem agnoſci poſſit.

Imagine VALERII POPLICOLÆ temporum nos iniuria priuauit, cuius tamen truncum formæ quadratæ intactum cum hac inſcriptione reliquit: P. VALESIVS VOLESI F. POPLICOLA. Ex eo apparet, inter alios honores, quibus à populo Romano maximis *Valerius* fuit affectus, hunc Hermen quadratum non poſtremum fuiſſe: qui honos non niſi illuſtribus, & de Rep. benemeritis viris concedebatur. Hic cum *L. Iunio Bruto* Conſulatum geſſit anno V. C. CCXLII. & ob leges populares ab eo promulgatas, cognomen *Publicolæ*, ſiue potiùs, vt eo tempore ſcribebant, *Poplicolæ*, à populo tulit. Refert Dio- 147

 nyſius

nysius Halicarnasseus, & Plutarchus, ne quid honori eius deesset, illi, vt fores domus eius extrinsecus aperirentur, & viam publicam spectarent, concessum fuisse: quod posteà in vsum venit, vt satis ex monumentis antiquis constat. Cumulo huic tot honorum, qui certatim illi à populo sunt habiti, accessit vltimus & maximus ille, quo ipsum, aliosque ex Valeria familia, in vrbe sepeliri permissum fuit. Hic iam mortuus, publicis honoratus exequijs, in *Velia* iuxta Forum Romanum (in quod sepulchrum & alij eius postea gentilitij sunt illati) sepultus fuit. *Valesius* pro *Valerius* antiqua illa rectè scribendi ratione legitur; vt qui in Scriptorum libris, præsertim Ciceronis, versatus est, sæpiùs obseruare potuit. Romani enim, Cicerone teste, lib. IX. ad Fam. Epistola 21. cùm ante tempora *Appij Caci* littera R. carerent, eiusque loco littera S. vterentur, scribebant *Fusius*, *Papisius*, *Valesius*, pro *Furius*, *Papirius*, *Valerius*.

148 Effigies P. VIRGILII MARONIS Poëtarum principis, in gemma olim anulo inclusa (*Corniolam* vocant) affabrè expressa est, quam aliquis *Virgilio* deuotus gestitabat. Hæc non absimilis est alteri, quæ in tabella marmorea conspicitur, quæ præter lineamenta, idem etiam capillitium repræsentat. Et quoniam formam sedenti similem exhibet, si erecta staret, eam proceritatem monstraret, quam in ipsa Corniola videre licet, & de Virgilio legitur. Nam qui Poëtæ eius vitam scripsit, testatur statura procera, colore subpallido, viribus imbecillis, & corpore gracili fuisse; quę omnia macritudinem corporis, aliaque, quæ felici artificis manu in Corniola expressa videntur, satis indicant. Imago hæc, quemadmodum etiam altera, quam diximus exstare in tabella marmorea, personam siue laruam manu tenet; nam antiquitus Poësis illa *Pastoralis*, in qua maximè *Virgilius* excelluit, interuenientibus Histrionibus, qui personati erant, recitabatur. De huius Poëtæ vita Donatus Grammaticus, alijque Scriptores prolixè scripserunt, quos Lector consulet. Nobis sat erit admonuisse, aliam effigiem in amethysto perpulchra penes Vrsinum spectari, quę *Virgilij* iuuenilem

uenilem ætatem cum capillitio, librum poëseos sua manu tenentis, repræsentat.

De XENOCRATE Philosopho, præter eius Hermen sine capite, cum inscriptione ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ ΑΓΑΘΑΝΟΡΟΣ ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΟΣ, nihil exstat. Is condiscipulus æmulusque fuit Aristotelis, & Speusippo Athenis iam mortuo in Academia succesit, eique summa cum laude XXV. annos præfuit. Legitur Aristoteles *Xenocratis* æmulatione motus, & ipse scholam aperuisse, vsurpando, paucis immutatis, hunc Sophoclis versum: *αἰσχρὸν Ἀριστοτέλη σιωπᾶν, Ξενοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν.* quamuis Cicero lib. III. de Orat. & pluribus in locis hunc versum ob *Isocratis* & non *Xenocratis* æmulationem ab Aristotele prolatum fuisse contendit, cuius verba hęc sunt: *Aristoteles autem Isocratem ipsum lacessiuit*, &c. *Xenocratem* aspectu aiunt fuisse austero, & omni gratia caruisse; vnde Plato cum *Xenocrate* iocans, vt *Gratijs sacrificaret litaretque*, eum admonebat. Erat insuper ille ingenio adeò tardo, vt *Plato*, velut legitur, in *Xenocrate* ad bonas artes excitando, calcaribus, in *Aristotele* verò ob ingenij acumen compescendo, vteretur freno. Vixit annos LXXXII. vt Diogenes Laërtius in eius vitâ scriptum reliquit. 149

Imago ZALEVCI Locrensis Legislatoris, in numo argenteo à populo Locrensi percusso, expressa visitur. Hi cùm ad promontorium *Zephyrium* habitarent, ab eo *Epizephyrij* nominati sunt, ex quo numus inuersus hanc inscriptionem exhibet: ΛΟΚΡΩΝ ΕΠΙΖΕΦΥΡΙΩΝ. Antica numi pars sub collo nomen ΖΑΛΕΥΚΟΣ exhibet. Hic leges Locrensibus ciuibus suis (teste Strabone) maximam partem à Cretensium, Lacedęmoniorum, & Areopagitarum legibus depromptas composuit, & sub Mineruæ nomine prudentissimus est Legislator habitus, teste Valerio lib. I. cap. 4. de quarum Legum nimia seueritate idem Val. Maximus lib. 6. cap. 5. mentionem facit his verbis: *Zaleucus, vrbe Locrensium à se saluberrimis atque vtilissimis legibus munita, cùm filius eius adulterij crimine damnatus,* 150

tus, secundùm ius ab ipso constitutum, vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris pœnæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnauit: ad vltimum precibus populi euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum videndi vtrique reliquit.

151 Finem libello huic imponit ZENONIS ELEATIS Philosophi imago, ex marmore sculpta, in qua nomen eius in pectore ΖΗΝΩΝ legitur: cuius etiam statua in forma Hermæ quadrati cum ijsdem litteris olim exstabat, & Fuluius Vrsinus vidit, quamuis hodie nusquam appareat. Habetur effigies eius in gemma quoque anulari, *Niccolo* nuncupata; quę mirum, quantum illas, de quibus iam mentio est facta, adamussim exprimit. Diogenes Laërtius, & Apuleius in 1. Apologia, eum inter Philosophos formosos numerant, collumque habuisse dicunt oblongum. *Pireti* filius fuit, & vixit olympiade cx. eodem tempore, quo Cyrus Asiæ imperium tenebat. Ex Scriptoribus constat, quòd Parmenidæ discipulus, & inuentor Dialecticæ, auctorque Stoicæ sectæ fuerit; de cuius vita, morte, alijsque scitu dignis, copiosè scribit Diogenes Laërtius.

FINIS.



INDEX ILLVSTRIVM per Classes digestus.

HEROES.

REGES ET REGINÆ

ROMANI.

EXTERNI.

Prusias
Ptolemaus Aegypti Rex
Ptolemaus Apion
Ptolemaus Soter
Pyrrhus
Seleucus

IMPERATORES, DVCES, MAGISTRATVS

ROMANI.

Aemilius Lepidus III. *Vir.*
M. Agrippa
C. Antius Restio
L. Antonius
M. Antonius
M. Arrius secundus
M. Attilius Regulus
Augustus Cæsar, cum Liuia vxore
C. Cæsar } *Augusti nepotes*
L. Cæsar }
M. Claudius Marcellus Consul
M. Claudius Marcellus Augusti nepos
Cœlius Caldus
L. Cornelius Lentulus
P. Cornelius Scipio Africanus
P. Cornelius Scipio Nasica
L. Cornelius Sulla
Cn. Domitius Ahenobarbus
Faustus Sullæ filius
Germanicus Cæsar
Iulius Cæsar
L. Iunius Brutus
M. Iunius Brutus
Q. Labienus Parthicus
L. Liuineius Regulus
C. Marius
Nero Claudius Cæsar
Numonius Vala
Q. Pompeius Rufus
Cn. Pompeius Magnus
Sextus Pompeius Magni F.
Cn. Pompeius Magni item F.
M. Porcius Cato
A. Postumius Albinus
T. Quinctius Flamininus
C. Seruilius Ahala
P. Valerius Poplicola

EXTERNI.

Alcibiades
Amilcar
Aristogiton Atheniensis
Cimon Atheniensis
Hannibal
Miltiades
Phocion Atheniensis
Pittacus
Themistocles

IVRECONSVLTI ET LEGISLATORES.

Papinianus cum Plautia vxore
Solon
Ser. Sulpicius Rufus
Zaleucus

PHI-

PHILOSOPHI

GRÆCI.

Antiſthenes
Apollonius Tyanens
Archytas Tarentinus
Ariſtippus
Ariſtoteles
Carneades
Cratippus
Diogenes
Dionyſius Vticenſis
Heraclitus
Mago Carthaginienſis
Pittacus
Plato
Poſidonius
Pythagoras
Socrates
Solon
Speuſippus
Theophraſtus
Xenocrates
Zeno

LATINI.

L. Apuleius Madaurenſis
Maximus
M. Porcius Cato
L. Ann. Seneca

POETÆ

GRÆCI.

Alcæus
Anacreon
Aratus
Ariſtophanes
Calliſthenes
Euripides
Heſiodus
Homerus
Menander
Moſchion
Philemon
Pindarus
Pytheus
Sappho Poëtria
Sophocles
Theocritus

LATINI.

Horatius
Perſius
Terentius
Virgilius

ORATORES

GRÆCI.

Aeſchines
Andocides
Demoſthenes
Iſocrates
Leodomas
Lyſias

ROMANVS.

M. Tullius Cicero

HISTORICI

GRÆCI.

Herodotus
Iuba Rex
Thucydides

ROMANVS.

Salluſtius Criſpus

MEDICVS.

Hippocrates

VARII.

Q. Claudia Veſtalis
Cynegirus Athenienſis miles
Hyacinthus
Hylas
M. Mettius Epaphroditus Grammaticus
Milo Crotoniata athleta

FINIS.



APPROBATIO.

HIc Commentarius Domini IOANNIS FABRI BAMBERGENSIS, Romani Medici expertiſſimi, in imagines Illuſtrium ex Fuluij Vrſini Bibliotheca à Theodoro Gallæo viro humaniſſimo typis ęneis expreſſas, nihil contra fidem aut bonos mores prætendit. Poterit igitur ad multorum hominum recreationem in publicum prodire. Quod teſtor 16. Febr. anno 1605.

Egbertus Spitholdius S.T.L.
Canonicus & Plebanus
Antuerpienſis.


LABORE ET
CONSTANTI

3441

coll compl
C.7

C.8

